c. tabula



Denominatio locorum in hac σκιογραφίᾳ consignatorum.

1. Civitas Rigensis.
2. Arx Rigensis cum munitione inferiori recenter ad Dunam exstructa.
3. Propugnaculum angulare circa portam Lanionum.
4. Propugnaculum angulare versus Arcem.
5. Propugnaculum Iacobæum cum Loricis inferioribus.
6. Loricæ sivè munitiones inferiores ad basin Valli longioris inter Iacobinum & arenarium propugnaculum unà cum aggere intersecto & portà, disruptà.
7. Turris arenaria ruinis deformata
8. Propugnaculum angulare arenarium cum Semilunio seù hemicyclo nec non binis ejusdem aggeribus intersectis & cuniculis contrariis.
9. Repagulum Pomærii exterioris ante portam arenariam.
10. Claustra portæ interioris arenariæ disjectæ.
11. Propugnaculú angulare ad portam Novam dictam.
12. Propugnaculum angulare ad balneas.
13. Propugnaculum angulare portæ Equileæ.
14. Hemicyclus ante repagulum pomærii exterioris portæ Equileæ, unà cum aggere interiori intersecto.
15. Palus concamerata influens intra pomœrium valli Equilei.
16. Portæ Septem versus Dunam publicæ.
17. Munimentú ad forum halecum, itemque aliud ad Aquarium portæ Salsamentariæ.
18. Ostium Dunæ fluminis sivè Portus, in quo classis 160. Naviú.
19. Arx Dunæmundeń.
20. Munimentum & Castra ad Mühlgrabium.
21. Pascua Civitatis publica.
22. Castra Regiæ Majestatis.
23. Stativa Ducis Exercituum Generalis.
24. Stativa Marescalci Campestris in prædio Hintziano.
25. Fossæ & aggeres minores per Montes arenosos sparsim ducti ferè ad rivum ubi tormenta exposita sunt.
26. Fornax calcaria.
27. Munimentum tormentarium, Battoria dictum in horto Wittiano, è quo turris Arenaria ferè tota convulsa est.
28. Munimentum post templum Divæ Gertrudis.
29. Munimentum & Stativa Tribuni Sittonis circa Molam alatam.
30. Stativa Iohannis Henrici penes Xenodochium Dvi Georgii.
31. Fossæ hostiles sinuosæ ad ipsas usque Civitatis fossas ductæ.
32. Decem munimenta tormentaria super Molendino aquario hortisq; & ædibus prope ipsas Civitatis fossas sitis, è quibus propugnacula angularia, Iacobæum, arenarium, & ad Novam portam itemque Munitiones eorundem laterales valdè conquassata sunt.
33. Tria munimenta ante pomærium portæ arenariæ, in quib9 Mortaria ignivoma posita lapides 160. pondo ejaculata sunt.
34. Fossa sub tecto à Molendino arenario ad hemicyclum usque ducta.
35. Pons virgultis constratus super fossam Civitatis, hemicyclo junctus.
36. Pons quaqua versum tectus & fossæ aquariæ Civitatis ad ipsum usque propugnaculum Dvi Iacobi inferius superinductus, super quo Tribunus Sitton impetum in Rigenses fecit.
37. Fossa, per quam aqua è fossa Civitatis derivata est.
38. Triremes, navigia, ac Cymbæ Civitatis.
39. Insula è regione Arcis sita, in qua 7. militum signa primos aggeres jacere conati sunt.
40. Triremes binæ, quarum altera ustulata, altera in prædam ducta est.
41. Munimentum trans Dunam geminum penes prædium Divi Georgii.
42. Castellum sivé fortalitium in Insula Saggeriana.
43. Castellum in Insula Ebbiana.
44. Castellum in Insula Iesuitarum Duvelsholm dicta.
45. Castellum sivè Munimentum penes turrim antiquam trans Dunam ubi Stativa Tribuni Kobronis.
46. Turris antiqua trans Dunam.
47. Molendinum trans Dunam.
48. Pugna velitaris cum Polonis.
49. Castellum super Insula Meisterholm dicta.
50. Castellum in Insula Fridericiana.
51. Pontes quorum beneficio Castella ea insularia contignata sunt &c.

Excusa operâ & impensis Nicolai Mollini Typographi RIGENSIS.

De expugnatione
CIVITATIS RIGENSIS
LIVONIÆ METROPOLIS

Quam

Serenissimus Svecorum Gottorum & Vandalorum &c. &c. REX, GVSTAVVS ADOLPHVS Calendis Augusti Anno proximè elapso 1621. infestis armis ipse oppugnatum vénit, & terrâ marique 13. Augusti undique cinctam, ad deditionem tandem 16. Septembris faciendam compulit.

Loco Relationis verissimæ.

EPISTOLÆ IIII.

In quarum { primâ ad Serenis. Poloniæ Regem & secundâ ad Illust. Ducem Campestré Mag. Duc. Lithvaniæ Dñ. Christophorũ Radziwilum Princ. R. I. } à Spectab. Senatu scriptis, obsidionis illius & inevitabilis deditionis necessitas iisdem verè accuratèq; explicantur.

Ex tertiâ verò responsi loco ab eodem M. D. Lithvaniæ Campiductore in improperium Spblis Senatus scriptâ, quasi deditio ea, nullâ cogente gravi necessitate, præcipiti saltem metu facta sit,

Quarta tandem nata est Apologetica Spblis Senatûs, in quâ factæ deditionis ratio expedita redditur.

Latino & Germanico idiomate in gratiâ veritatis amantium in lucẽ editæ.

Daniel 5. cap.

Potestatem habet altißimus in Regno hominum, & quemcunq; voluerit suscitabit super illud.

Seneca Epistol. 91.

Nihil publicè stabile est; tàm hominum quàm Vrbium fata volvuntur.

Lips. 1. de Constant. cap. 16.

O mira & nunquam comprehensa Neceßitatis lex!

Cum Grat. & Privil. Ser. Reg. Majest. Sveciæ ne à quoquam imprimantur.
Excusæ Rigæ per Nicolaum Mollinum Typographum
Anno Domini M. DC. XXII.

Illustmo Principi ac Dño Dño Christophoro Radzivvil, Duci Birzarum, & Dubinkorum, Sac. Rom. Imp. Principi, Mag. Duc. Lithv. Campiductori, nec non Seiveñ, Zysmorieñ, Bystrzyceñ Poszyrwensiq; Capitaneo &c. &c.

SUb exitum ferè anni proximè elapsi, literas Illmæ Cdnis Vræ accepimus satis aculeatas & injuriosas, quibus ad nostras anteà datas, causas deditionis urbis nostræ candidè exponentes, animo valde commoto & hostili respondet, nobisq; exprobrat, ac si nullâ justâ de causâ victori Civitatem dedidissemus; imo gravissimum perfidiæ crimen impingit. Tantas igitur injurias ad animum revocantes legitimam honoris famæq; nostræ defensionem conscripsimus, quam statim Cdni Vræ tùm misissemus, nisi in causâ tàm arduâ Sac. Regiæ Mtis Dñi nostri clementissimi consensus nobis fuisset expectandus. Nunc finitâ illâ morâ, literas nostras defensorias Illmæ Cdni Vræ mittimus, non aliud spectantes, quàm ut optimum Civitatis ornamentum, honoris & existimationis nimirum possessionem, virtute partam, virtute conservatam legitimè tueamur. Benè valeat Illma Cdo Vra & necessitati nostræ ignoscat. Dat. Rigæ 3. Julii 1622.

Proconsules Consulesq; Regiæ
Civitatis Rigensis.

Lector

Lector benevole.

CVm deditionem, quam in autumno anni proximè præteriti 1621. Serenissimo & Potentissimo Principi ac Dño Dño GUSTAVO ADOLPHO Svecorum Gotthorum & Vandalorum &c. &c. Regi Dño nunc nostro clementissimo ineluctabilis fati necessitas facere nos jussit, præcipiti turpique metu, nullà urgente gravi necessitate factam esse Illustrissimus Dux Campestris Mag. Duc. Lithvaniæ Dñs Christophorus Radziwillus Princeps in opprobrium nostrũ objectare nobis non sit veritus; quinimò alibi quoque passim, & in Regno Poloniæ inprimis, iniquâ censoriâ notâ nos perstringi & odiis male feriatorum hominum prægravari compertum habeamus: Aliter facere non potuimus, honoris & famæ nostræ ratione ita exigente, quin seriem rei gestæ & obsidionis faciem nõ solùm Illustmæ Celdni Ipsius vivis coloribus depingeremus, verùm etiam divulgatis & in lucem publicam editis cùm nostris ad Regem Poloniæ & Ducem Exercituum Mag. Duc. Lithvani campestrem statim ab expugnatione urbis scriptis, tùm contumeliosis quoq; Ipsius Celdnis ad nos, & iis quibus honoris nostri vindicias postulamus literis, non aliam nos, quàm pietatis & virtutis cynosuram, nec non omnium gentium jura & exempla in hoc negocio secutos esse, toti mundo omnibusque veritatis studiosis testatum redderemus. Vale, Dat. Rigæ die 3. mensis Iulii Anno Domini 1622.

Proconsules Consulesq; Regiæ
Civitatis Rigensis.

Literæ

Literæ Sp. Senatus Rigensis, scriptæ

Ad Regiam Majest. Poloniæ, Post expugnationem urbis

Serenissime ac potentissime Princeps, Domine clementissime,

Servitia & obsequia nostra promtissima cum veneratione.

NOn dubitamus Regiam Majest. Vam, auditione jàm accepisse, summoq; dolore affici, in eam fortunam nos fatali quâdam rerum conversione devenisse, quam nec ipsamet Ra Mtas Vra unquam credidit, nec nos eventuram aliquando opinati sumus: sed DEus Regnorum & imperiorum terminos constituit ac mutat, pro-ut ei visum fuit; nec humanæ sagacitati datum est, reconditos divini mysterii recessus perscrutari, qualemcunq; tandem duriciem vel iniquitatem præ se ferre videantur. Meminit Ra Mtas Vra in proximè præteritis generalibus Comitiis per nuncios nostros tàm publicè quàm privatim literis nostris frequentibus periculi magnitudinem à Sveciæ Regno nobis imminentẽ, nos humillimè ac querulâ voce exposuisse. A nonnullis sanè, rem & tempus prudenter pensitantibus fides nobis habita fuit, a nonnullis vicissim derogata, qui vel præoccupati animi affectione vel sinistrâ aliorum credulitate & opinione ducti fuerunt. Gavisi tamen fuimus, quod Repub. gravissimo Turcico bello alibi implicatâ, Ra Mtas Vra partem aliquam solicitudinis suæ in mise-

A ram

ram Livoniam derivare ac perficere dignata fuit, ut Illmo Principi, Domino Radzivilo Campiductori Magni Duc. Lithvaniæ cura tuendæ Livoniæ publicâ autoritate committeretur. Collegerat is mox copias aliquas, ut nobis relatum est, sed quæ aliò posteà abductæ sint, quod non leves autores securitatem Livoniæ, quocunq; tandem animo, pollicerentur. Deinde aures R^æ^ M^tis^ V^æ^ iteratis literis cum fatigaremus, responsum tulimus, Illustrissimo Dño Palatino Vilnensi hanc curam Livoniæ defendendæ incumbere: quo audito, haud parùm turbati sumus; quippe jam notum erat, eundem Dominum Palatinum, ad subeundas Generalis in Poloniâ Ducis vices, esse à R^a.^ Majest. V^ra.^ in Podoliam evocatum: cui gravissimo oneri suscipiendo, ut maximè suffecturus sit, tamen Livoniæ curam cum vix in tantâ rerum mole gerere posse, & jure fore excusatum, statuimus: postea iterum ad Ill^mum^ Dominum Campiducem remissi fuimus, cum bona pars temporis effluxisset, hostis verò noster summo studio ac diligentiâ ad rem conficiendam pergeret. Quamobrem non destitimus deinceps quoque tàm R^m^ M^tem^ V^ram^, quanquam maximis occupationibus distentam, quàm ipsum Dominum Campiduccem, orare, interpellare, obsecrare, ut quâ fieri posśit, summâ celeritate, auxiliares copiæ cogerentur, ac in Livoniam mitterentur; facilem enim & expeditum brevemq; esse e Sveciâ in Livoniam transitum, qui à nemine præsentiri vel prænun-

prænunciari queat: itaq; operam dandam esse Domino Campiduci, ut prior possessionem campi adipiscatur; sic enim multis rebus potior futurus sit, posteriorem verò, ut ut bene instructus armatusq; veniret, multis incommodis obnoxium fore. Quamvis autem Dominus Campidux ad summam diligentiam nihil reliquum fecisse videatur, quo minùs justum exercitum & maturè colligeret ac in Livoniam duceret: tamen ab hoste tùm nostro diu bellum præparante præventus fuit, qui classe suâ instructissimâ portum flumenq; Dunæ mox occupavit, militemq; in continentem exposuit, ac post paucos dies, adventantibus reliquis copiis terrestri itinere, in urbis conspectum universus exercitus prodiit & castra metari cœpit, aggeres, fossas, munitionesq; plurimas, admirabili festinatione, duxit & firmavit: deinde grandioribus tormentis summâ vi ac vehementiâ pinnas munitionum nostrarum ita verberavit, ut vix consistendi locus fuerit: Nihilominùs animo impavido, quantum omninò per vires nostras licuit, restitimus & vices reddidimus, ut non pauci in castris hostilibus ceciderint. Sanè non parva nos solicitudo curaq; incesserat, quod trecētos tantùm milites, licet summo studio, in viciniori Germaniâ ac Livoniâ cō quisitos, conducere potuimus. Nam Daniæ Rex aliiq; Principes militem cogētes & amplo stipendio allicientes, magno nobis impedimento fuerunt: in ipsâ verò Livoniâ, armis virisq; omninò exhaustâ frustrà milites conquisiti fuerunt. Huic tamen malo ut quâcunq; ratione mederemur, equi-

tum

tum præfectos Ceridonem & La-Barre, qui Illustrissimo Domino Zamoscio Palatino operam obstrinxerat, sed serò venturus erat, peculiari stipendio conduximus, ut arci in communi periculo præessent: quæ res vires nostras distraxit ac labefactavit. Quamvis autem cives nostri milites q; mirâ animorum alacritate, quævis pericula subire non detrectaverint: tamen singulis ferè diebus, non paucos fortuna belli absumsit. Sed spes auxilii à Repub. ferendi animos diu sustentavit, præsertim cum Illustriss. Dominus Campiductor ultra Dunam conspiciendum se præbuit, ac velitando hostiles ibidem copias aggressus fuit, quæ tamen vix duodecimam partem exercitus efficiunt, qui, ut ex certissimis autoribus didicimus, nonaginta novem vexilla peditum, equitum viginti & unum, in singula vexilla centum & quinquaginta viris computatis, complectitur. Posteà verò quàm à duabus septimanis aliquotq; diebus, ex quo Dominus Campiductor, unam tantùm noctem moratus, recesserat, nulla amplior spes suppetiarum affulsit, Civitas autem arctiori indies obsidione premeretur, numerus militum ad dimidiam partem imminueretur, civium quoq; juvenumq; non pauci interiissent; non ita ex omnibus partibus hosti occurri potuit, ut voluntas & necessitas nostra requirebat. Igitur propiùs ad munimenta nostra movens hostis, nocturno tempore ea suffodere cuniculosq; agere ita properavit, ut tribus in locis eos perfecerit, longumq; in spacium qua-

quatuordecim nimirum orgyarum diduxerit, suppositis viginti quatuor cadis pulvere nitrato repletis, jàm jàmq; in aërem cum certissimâ superstantium pernicie vallum disjecturus erat, nisi fœminei sexus & parvulorum misericordia animum oppugnantis subiisset. Itaq; omni humani auxilii respectu nobis præciso, cum ne unus quidem de quingentis illis peditibus, quos Gedano submissum iri R^{a} M^{tas} V^{ra} promiserat, compareret, essetq; res ad extremum adducta discrimen, habito cum Dño Castellano Vendeñ, aliisq; Nobilibus tùm Equitum Præfectis Capitaneisq; rei bellicæ peritis consilio, rem desperatam esse omnibus conclamantibus, in colloquium descendimus; pactiq; incolumitatem uxorum, liberorum, tùm omnium jurium ac libertatum nostrarum, in fidem ac ditionem Serenissimi Regis Gustavi Adolphi concessimus. Quâ in re admirabilem victoris clementiam & lenitatem satis prædicare non possumus, qui summâ moderatione animi hanc fortunam suam superavit, ac nos vivere coëgit; idq; supplicantibus nobis benignissimè largitus est, ut si intra triennii spacium pax æquis conditionibus inter utrumq; Regem coiret, cum omni jure & libertate illibatâ, in ditionem Regiæ Majestatis $V^{æ}$ redeundi nobis potestas sit. Sanctè coram S^{a}. R^{a}. M^{te} V^{a} affirmamus, idem coram DEi justissimi & omnium Angelorum facie, in ultimâ illâ mundi disquisitione testificaturi, paratissimos nos fuisse, unà cum uxoribus & liberis omnibusq; fortunis, cer-

tißimam oppetere mortem, si ulla vel laus vel utilitas ad Sm Rm Mtem Vm & Rempub. promanare potuisset; nisi quoq; pietas erga DEum & fidei nostræ commissos, a tàm crudeli facinore ac furore nos revocâsset; quin ipsam Ram Mm Vm id improbaturam, persuasum nobis fuisset. Quorum autem culpâ hoc Reipub. Polonæ detrimentum acciderit, DEus judicabit, qui omnium animorum occultos recessus perspicit. Dum autem facere coacti sumus, quod divina humanaq; jura ac naturalis ratio, tùm omnium gentium laudata exempla permittunt, quæsumus Ram Mm Vm, non voluntati vel ulli culpæ nostræ, sed fatali cuidam ac immutabili rerum conversioni imputare dignetur: quin summa ope in eam curam incumbat, ut omnis causa fundendi innoxii Christiani sangvinis in cœlum clamantis, e medio tollatur, pax firma tandem stabiliatur, vastationibus ac direptionibus finis imponatur, quiesq; oppreßis & defagitatis populis restituatur. Alioquin cœlum & terra testimonium contra injustos oppressores perhibebunt, & ira divina magis magisq; incensa, iisdem dolorem sempiternum inuret. Certè Livonia omnis, tantam Christiani sangvinis effusionem nunc nauseat ac horret. DEus victoriarum autor Sæ Ræ Mti Væ optatißimum triumphum contra barbaras gentes largiatur, cujus gratiæ innocentiam nostram commendamus, Datum Rigæ die 20. Septembris, Anno 1621.

Literæ

Literæ Sp. Senatus misſæ ad Illmum Ducem Christophorum Radzivvil Campiductorem M. D. Lithvaniæ post expugnationem urbis.

Illustrißime Princeps, Domine Gratiosißime.

Obsequiorum nostrorum promptitudinem debitâ cum observantiâ.

QUantas in difficultates gravißimum hoc bellum, nostram Civitatem diuturnis calamitatibus jàm anteà concussam, conjecerit, ipsamet Illma C do Vra jàm anteà, tàm ex publicâ famâ, quàm ex crebris literis nostris cognovit. Equidem memoriâ tenemus, in nuper præteritis Comitiis, apparatum hostilium armorum præsentientes, per nuncios nostros, & Sæ Ræ Mti & universis Ordinibus, nos periculi magnitudinem ob oculos posuisse, maturaq; auxilia nobis submiti opemq; ferri, prout Respub. tenetur, ac fides publica exposcit, summis precibus orâsse: non enim esse in nostrâ potestate, totius belli molem cervicibus nostris suscipere aut sustinere; non esse prudētiæ, cum universi Sveciæ Regni viribus, nostras imminutas & afflictas vires comparare, aut vanâ ostentatione supra sortem fortunarum nostrarum, imbecillitatem ægræ Civitatis extollere, id agentes, ne publica cura imminueretur & nostræ fortitudini onus gravißimum permitteretur. Eandem quoq; in sententiam Illm Cm Vm multa dixisse & scripsisse non ignoramus: quo minus autē secundis auribus hæc omnia acciperentur, fatalis quidam torpor, aut præconcepta ex privatis opinionibus & sini-

sinistris suggestionibus securitas offecisse videtur. Quamvis autem ex publico Comitiorum decreto Ill^mæ C^di V^æ Livoniæ defendendæ partes, ut publica dignitas fidesq; efflagitat, commissæ fuerint: tamen posteà, nescimus, quorum instinctu aut artificio, multa objecta fuerunt impedimenta, quominùs tam necessaria defensio tempestivè susciperetur. Quamobrem non destitimus, frequentibus literis, aures R^æ M^tis & procerum fatigare, ne tantum periculum negligerent, aut longè romotam enervatamq; provinciam Livoniam incendio proximam tempestivis subsidiis destituerent. Non defuit quidem R^æ M^ti voluntas aut animus clementissimus, sed quod contra commune Comitiorum placitum ad Ill^mum Dominum Palatinum Vilnensem rejecti fuerimus, qui Livoniæ defensionem præstiturus sit, valdè mirati & simul turbati sumus, quod Dominum Palatinum ad totius Regni & Reip. universæ tutelam, & supremi Ducis munus jàm in Podoliam evocatum & designatum esse sciremus. Interim non parùm temporis preciosissimi periit; cujus quidem jacturam nos summo cum dolore deploravimus. Itaq; literis iteratò ad R^m M^tem missis, hanc moram deprecati sumus; tùm demum responsum nobis fuit, Ill^mæ C. V^ræ hanc provinciam esse commissam. Ab eo tempore, non quievisse Ill^mam C. V^am statuimus; quin omnia quæ tanti negotii magnitudo requirit, summâ diligentiâ & celeritate paràsse, ut in tempore rebus laborantibus succurreret, ac muneris sui dignitatem ac Reipub. fidem tueretur, idq; pluribus literis suis testatum fecit. Sanè non mediocriter, hisce auditis, recreati fuimus; attamen temporis & rerum momenta ponderantes, solicitudinem nostram de partis adversæ mirificâ vigilantiâ & celeritate omittere non potuimus, jàm tùm animo providentes, qui prior campi possessionem adeptus fuerit, eum multis modis fore potiorem, positisq; ac firmatis semel castris, difficultates maximas alteri objecturum. Non inficias ibit Ill^mæ C. V^ra crebras in eam sententiam nos literas scripsisse, quarum Exempla, si opus fuerit, bonâ fide publicè ubiq; exhiberi ac recitari non abnuimus. Nunc plurimo labore ac molestiâ, militis conscribendi & necessaria parandi diligentiam Ill^mæ C. V^æ constitisse, facile conjicimus, eo præsertim tempore, quo immanissimus Christiani nominis hostis Turcarum Imperator, bello Regnum Poloniæ aggressurus erat, omnesq; vicinæ regiones armis virisq; exhaustæ, vix domestico suo subsidio sufficerent. Intereà, quod valdè metuimus, classis Svecica instructissima portum nostrum occupavit, militem exposuit; exercitus reliquus unà cum Seren^mo Sveciæ Rege, terrestri itinere Pernaviâ supervenit: nec mora, ubi locorum opportunitatem contemplatus fuit, castra & tentoria fixit, aggeres & munitiones circa Civitatem, cis ultraq; Dunam extruxit, magnâq; festinatione, quod valdè mirandum est, omnes viarum aditus & itinera interclusit, arctissimâq;

mâq; obsidione Civitatem terrâ mariq; circumvallavit. Haud tamen ita animis consternati fuimus, ut non modis omnibus pro virium nostrarum mediocritate resisteremus: & quamvis numerus conductorum militum supra trecentos non assurgeret, tamen promptissima civium & juvenum alacritas supplevit, & summo conatu vim hostilem propulsavit. Cæterum singulis diebus, aliquot ex tam exiguo numero tum civium tum militum, violentissimâ & continuâ tormentorum verberatione fortiter ceciderunt: spe tamen auxilii Reipub. animos sustentârunt; præsertim cum Illma C. V^{a} ante dies circiter novemdecim ultra Dunam in conspectum hostis venisset, ac velitando eum provocâsset. Verum enim-vero cum præter opinionem Illma C. V^{a}, perspectâ hostilis aggeris firmitudine, tum militis copiâ ibidem collocatâ, quæ tamen vix duodecima pars totius exercitus fuit, ab eo die succurrere nobis non potuerit; Civitas autem majori vi indies, non tantum aperto Marte, sed clandestinis quoq; cuniculis oppugnaretur, & pulvis nitratus in locis subtus aggerem & propugnacula nostra, circa portam arenosam positus & occultatus, certissimam ac inevitabilem perniciem nobis omnibus minitaretur, nobisq; nullâ ratione tanto periculo obviam ire liceret: habito cum D^{no} Castellano aliisq; Nobilibus, tum Capitaneis, & equitum Præfectis, rei bellicæ peritis, consilio, rem desperatam esse animadvertimus: ac proinde in ipso extremi periculi articulo, ut o-

ut omnes jam tum fatebantur, & nũc, visâ adversæ partis potentiâ ac horribili apparatu, sine dubitatione affirmant, colloquendi veniam petiimus, eâq; impetratâ, certis conditionibus, in potestatem ac ditionem Seren^{mi} Sveciæ R^{e}gis, omnium consensu, juxta certæ formulæ præscriptum concessimus, vitamq; ac salutem omnium reliquorum civium, uxorum ac liberorum, tum fortunas, admirabili ac perpetuò prædicandâ victoris clementiâ, cujus animum DEus ipse inclinavit, conservavimus, id quod jure divino & humano, tum laudatis exemplis omnium gentium, concessum esse, omnes sanâ ratione præditi noverũt, satiùs habentes, fatali dispositioni, cujus mysteria perscrutari mortalibus non est datum, ceu vi majori cedere, ac meliori fortunæ nos Civitatemq;, prudenter tàm validum ictum declinando, reservare, quàm vanâ ac stolidâ ferociâ, viriumq; nostrarum ignoratione, instar brutorum in cædem promiscuam ruere, uxoresq; ac parvulos innoxios, furentis militis libidini cædiq; prostituere: ex quâ re nulla laus nobis, nullum emolumentum Reipub. fuisset expectandum. Nunc divino beneficio, tum Seren^{mi} Sveciæ Regis, Domini nostri clementissimi summâ moderatione, Christianum sangvinem fundere abhorrentis, vivimus, & intuentes exercitus robur viginti millium virorum benè armatorum numerum superans, tum cuniculorum tribus in locis stupendo opere factorum, qui universæ Civitatis ruinam attraxissent, sum-

mis

mis in cœlum laudibus efferimus clementiam Serenmi Regis Gustavi Adolphi, *qui insciis nobis ac minimè credentibus, militis impetum prædæ ac direptionis avidißimum, imperio ac sapientiâ suâ cohibuit; alioquin ante dies aliquot extremam cladem ignorantes paßi fuissemus. Nunc Illma C. Vra sine animi paßione aut affectione judicet, judicent omnes Christiani Reges & Principes, num præter jus ac fas quicquam commiserimus, quod cùm cives nostri continuis sex ferè septimanarum diurnis ac nocturnis vigiliis, excubiis, ac laboribus in restaurandâ munitione defuncti essent, militum vero pars dimidia, ac non pauci civium juvenumq; tùm bajulorum occubuissent, nobisq; validißima hostilis impreßio, diversis in locis, tum subterraneum periculum, ubi 24. cadi pulveris pyrii occultabantur, ob oculos versaretur, suppetiarum spes nulla appareret, deniq; alia quoq; necessaria nos deficerent, humanitatis quàm crudelitatis majorem rationem haberimus, ac certam Victoris clementiam experiri quàm interire maluerimus. Quantâ animi magnitudine ac moderatione fortunam suam temperaverit victor, vel hinc apparet, quod subjectionis nostræ pacto hanc conditionem apponi permiserit, ut si intereà pacis negocium æquis legibus transigi posset, eâdem fide & integritate, quâ nos suscepit, salvis juribus & libertatibus nos e nexu suo dimitteret, ac redire ad pristinum Dominum pateretur. Damnosißima nobis fuit hæc obsidio, in quâ supra quindecim*

decim millia globorum in Civitatem sunt missa, a nostrâ quoq; parte in principio pro virili responsum fuit: at posteà, propugnaculis superioribus violentiâ hostili deturbatis, cessare coacti sumus. Igitur hoc solum superest, ut Illma C. Va summâ animi contentione pro suâ autoritate elaboret, ut funestißimo huic bello Livoniam consumenti, Lithvaniæ similem fortunam minitanti, invito quoq; Rege, a prudentißimis Ordinibus finis imponatur, Reipub. decus & existimatio vindicetur, & oppreßis per summam injuriam populis ac subditis fidelißimis & innocētißimis, de quorum sangvine luditur, pax & tranquillitas tandem restituatur. Hanc multis precibis ac votis continuis supra annos jàm viginti oravimus, hanc etiamnum jure exposcimus: alioquin ad sanctißimum Domini nostri JEsu Christi tribunal, in ultimo & æquißimo judicio accusaturi, qui privatæ suæ cupiditati, gloriam DEI & Ecclesiæ salutem postposuerunt. DEum autem sine pace nemo videbit. Hæc libero & soluto animo, nullo metu aut minis oppresso ingenuè scribimus, ut in utrâq; fortunâ animi nostri firmitudinem probaremus. DEus Optim. Max. Illm C. Vm salvam conservet, ac Remp. Polonam contra immanißimos Christiani nominis hostes tueatur. Datum Rigæ 20. Septembris, Anno 1621.

Literæ Illmi Ducis Radziwili, ad Splm Senatum responsoriæ.

Christo-

Christophorus Radzivvil, DEI gratiâ Dux Birzarum & Dubinkorum S. R. Imperii Princeps, Exercituum M. D. Lithvaniæ Dux.

Spectabili Senatui ac omnibus Ordinibus Civitatis Rigens. salutem.

Posteaquàm de deditione urbis vestræ, certis primùm nunciis, deinde literarum vestrarum significatione accepi, equidem pro eo, ac par erat, graviter casum hunc & acerbè tuli; non quod jacturam istam Sæ Ræ Mti Dño nostro clementissimo & Reipub. damnum aliquod irreparabile afferre existimem, sed quod vobis fortunisq; vestris fatalem quendam & funestum diem præsentiscere mihi videar. Non enim tàm inhumanus sum, ut humanis non ingemiscam casibus, nec tàm durus, ut amiticiæ, quam vobiscum integrè colui, oblivisci queam. Qualem itaq; habueritis amicum hactenus, nunc tandem cum Sæ Ræ Mti & Reipub., câdemq; operâ mihi quoq; amici esse desiistis, cognoscite, & simul quid de facto vestro sentire cogar, quidq; Sm Rm Mtem & Rempub. de eo judicaturam putem, accipte. Urbem florentissimam omniq; rerum & armorum copiâ instructam & abundantem, cum spes propinqui auxilii præstò esset, ultrò hosti tradidistis, obliti nexus & sacramenti, quo Ræ Mti & Reipub. obstricti tenemini, nec memores, tàm festinatum & praeceps consilium quis tandem maneat exitus. Quod enim destitutionem primùm, deinde vim hostilem querimini, excusationem hanc quonam pacto Sæ Ræ Mti totiq; orbi sitis approbaturi, vobismet ipsis reputandum relinquo. Ac primam quidem prætensionem quod attinet, efflagitâsse vos opem & auxilia Reipub., verum & fatendum est; sed nec id falsum aut diffitendum, opem & auxilia Reipub. in Comitiis Regni decreta, ac tandem ingruente bello submissa vobis esse. Hîc fortassis vel tarditatem, vel infirmitatem accusabitis! Sit sanè aliqua in ferendo auxilio mora interjecta; idcircóne vos a nobis publicè desertos, usq; ad invidiam apud exteros jactabitis? cùm auxilia, licet non ita, ut cupiebamus, maturè, non tamen vicissim sic serò venerint, quin præsentem calamitatem saltem ad paucos adhuc dies durando declinare in manu vestrâ esset, ac tarditas ista cuivis potiùs causæ, quã oblivioni aut incuriæ vestri periculi imputari deberet. Quicquid enim hîc moræ fuit, totũ id cùm in hostem Commissarios nostros in tractatibus ludentem, & sub induciarum spe bellum integro triennio cõtra nos præparatum occultantem, rejici debet, tùm in sinistras suggestiones, quæ, ut scribitis, effecerunt, ne nos priores possessione campi adepti fuerimus. Quod si penes eos, qui infidam pacem suggesserunt, hæret crimen, hujus tarditatis quid causæ est, quò minùs vestra vos istius culpæ condemnet confessio, qui literis quibusdam vestris pacis futuræ spem facere non dubitâstis? Quid multis? venisse auxilia multos ante deditionem dies, diffiteri non potestis, cùm ante 20. diem

cœpta

cœptæ obsidionis exactum, signa nostra volitare in vestro ac hostis conspectu videritis. Nempe nostra vos paucitas animos despondere coëgit! An vos fortunam belli numero bellatorum metimini, ac non potiùs præpotentis DEi patrocinio, qui meliori causæ deesse non solet? Quoties in eâdem causâ eundem hostem longè imparibus copiis congressi superavimus? exciderantné animis tot inclita nostrorum decora & victoriarum trophæa? quibus magnum illud numen testatum est, esse sibi curæ iniquè suscepti belli ultionem. Nec mihi deerat animus, per ausa & vestigia majorum vadendi; dedisset mihi, utinam, nuper ad ripam Dunæ pugnandi copiam hostis, cùm etiam afflictam morbo & profligatam valetudinem meam, decernendi cupidus, in propulsationem periculi vestri impendere non dubitarem. Sanè longo jam post hominum memoriam tempore, Regiones istæ non nisi exiguâ manu contra numerosos hostium exercitus defensæ sunt; ut mirari mihi subeat, potuisse vos hoc tempore numerum exercitus nostri despicere, cùm præsertim indies auctior fieret, & confluentes undiq; copiæ expectarentur. Paucitatem quoq; conducti præsidii prætenditis! Id vero sub admirationem venit, Civitatem longo jàm tempore præsentis belli præsciam, tàm malè de mercenario milite sibi prospexisse, cùm tamen memoriam hominum nondum excesserat, tempore pacis longè majorem eorundem numerum intra mœnia sua alere consuevisse: Quid quod præ-

ter urbanam cohortem, equitum quoq; præsidium a me concessum tuendæ urbi superfuit. Sed præterea, itane masculæ virtutis Riga inops fuit, ut etiam absq; conducto milite vigiliis ac laboribus civium vestrorum ultra exiguum mensis unius & octo-dierum spacium defendi nequiverit? Miles stipendio astringitur, vobis vero pietas, vobis fides, vobis omnia divina humanaq; jura in tantâ præsertim plebis concordiâ & constantiâ, neccessitatem durandi imponebant. An pauca præteriti præsentisq; temporis habuistis urbium exempla, quæ in tristissimam conditionem & deploratissimam fortunam (licet in causâ haud justâ) sese ultrò dejicere, quàm in fidem oppugnantis concedere maluerunt? Vobis verò quid defuit? an vos inopia Civitatis commeatu & annonâ non modò ad necessitatem, sed etiam ad abundantiam instructissimæ terrebat? an de suppetiis Sæ Ræ Mtis jàm jàm redituris desperabatis? At literis meis per vestros internuncios transmissis testatum vobis feceram, me ab urbe recipiendarum reliquarum copiarum causâ saltem ad castra digressum fuisse, ac intereà minimè ociatum fuisse, licet id in conspectu vestro non fieret. Quis animo suo præsentiscere, aut conjecturâ assequi poterat, vos nullâ fracti animi significatione datâ, intereà dum redeunte morbo implicitus, jàm jàm ventura auxilia præstolor, tàm festinatam deditionem, me nullo modo præmonito, deproperaturos fuisse? Sed nimirum ruinam turrium

supposito pulvere pyrio machinatam declinare voluistis. Primine Rigenses hoc genere oppugnationis sunt petiti? aut nulla ex arte militari evitandi cuniculos ratio ostendebatur, cum in affluentiâ promtissimæ plebis fossores deesse non possent? Deniq; cùm tanta vos premeret necessitas, aut jàm animos despondere inciperetis, grave videlicet aut factu nimis difficile fuit, me vix aliquot miliaribus ab urbe distantem impendentis discriminis commonefacere, qui dedecus hoc & detrimentum Reipub. etiam capitis mei periculo, si qua fortè sineret causavè Deusvè, avertendum putavissem. Clementiam victoris prædicatis. Hæc quidem homine & principe Christiano, si quæ alia virtus, maximè digna est; Sed si hæc vera sunt, ut vera ex nostratibus intelligo, ac ideò libenter ipsi licet hosti laudem hâc in parte tribuo, certè in istam clementiam deliquistis, siquidem vano terrori ac metui ante deditionem nimium indulsistis. Quantum dedecus quævê culpa commissa sit, videtis! Nunc quàm miser sit futurus ac calamitosus adeò præcipitis consilii eventus, cõsiderate. Ac nescio sanè, an non perire semel expugnatis satiùs fuerit, quàm lento veluti cruciatu confici, & cum sempiternâ nominis infamiâ, non uno letho interire? Riga enim ut Svecis nunc, ita brevi nostratibus expugnabilis erit. Sed vos, ô Rigenses, qualem sortem Civitati vestræ, ex quo castitatem & integritatem fidei suæ amisit, tempora minitentur, videte. Taceo mala, quæ vos ab hostilibus præsidiis

mane-

maneant, utut se prima initia dant qui vobis Civitatis vestræ munitiones, quas tàm parvo negotio capi permittitis, nunquam sine numerosâ militum custodiâ concredent. Nam libertatem quidem verbis polliceri, quàm re vobis incolumem præstare procliviùs erit, quâ semel delibatâ, florem suum utinam recuperare possit. Iudicate, quantum de opibus vestris decrescat, mercaturâ Civitati adempta! sed quid dico de opibus? imò quàm angustam sortem extremamq; pauperiem rationes vestræ subituræ sint, maturè expendite. Quid vobis nunc vestra in Rempub. prosunt merita? quid decantata fides & fortitudo? si cum maximè florere debebant, exaruerunt. Infelix & nefastus dies, quo primùm ad tractatus allecti estis, ille vobis invidit, quo minùs fiduciâ meritorum vestrorum, jura & libertates vestras apud Rm Mtem & Rempub. longiùs proferre possetis. Benè cum iis actum video, qui pulcherrimâ morte damnosam patriæ deditionem in istâ obsidione præverterunt: meliùs cum iis, qui pro aris & focis strenuè dimicantes, ab omnibus tractatibus puros & immunes animos retinuerunt; optimè cum illis, qui spontaneum exilium amplecti, ac desertis patriis laribus clementiam Sæ Ræ Mtis & fidem Reipub implorare constituerunt. Vestra de pace obtestatio satis est pathetica, sed hoc tempore, permissis Marti habenis, vix aliquid ponderis habitura, nisi tota res in integrum restituta fuerit. Quis enim non vitio verteret Sæ Ræ Mti & Reip.

si tam

si tam enormem injuriam, quam nobis barbarico bello intentis hostis hic, nullâ Christiani sangvinis ratione habitâ, intulit, negligeret. Ut ut tamen est, vestrum est, pacem optare, nō verò nos ad eam, Rege invito, faciendam commonefacere: Apud nos enim, ut cuivis ordini, ita multo magis Magistratui a DEo nobis concesso sua debet constare libertas & prærogativa, quam imperiosis contentionibus, in causâ præsertim tam iniquâ, violare fas non est. Quamvis autem Dei gratiâ ita comparatus sum, ut æquitate causæ fretus, modò pugnam nō detrectet neq; defugiat hostis, de summâ rerum decernere possim & audeam: tamen, ne a pacis consiliis abhorrere videar, siquidem pars adversa animum suum nobis candidè declararet, pro eâ quam a Sa Ra Mte & Repub. accepimus facultate, non parceremus labori, ut aliquid in salutem harum provinciarum confici posset. Hæc sunt, quæ literis vestris provocatus respondendum duxi, quæ quidem a vobis eo, quo a me scripta sunt animo, acceptum iri confido, cum in his literis non hostem, sed veterem vestrum amicum egerim, plùs condolentiæ quàm iracundiæ, benevolæ commonefactioni, quàm minacibus verbis, utpote salutis non exitii vestri cupidus, indulserim. Non possum enim dissimulare meum vestri causâ dolorem, cum non mœnia, non ædificia, non turres vestras, sed virtutem Rigensium toties á me summo conatu defensam, & laudatam, concidisse, elanguisse, fractam, conculcatam, insultationibus malevolorum, qui talia de vobis dudum ominantes, meum in vos affectum criminabantur, prostitutam intelligam. Valete, pristinos animos capessite, & Ræ Mti & Reipub. nostræ de profligatis ante viginti septem dies barbarorum quinquaginta millibus, ac obtento in Wallachiâ campi dominio, congratulamini. Datum ex Castris ad prædium Newgut die Octobris Anno 1621.

Literæ Apologeticæ Spectabilis Senatus,
Præinsertis Illustrmi Principis Christophori
Radzivvilii Exercituum M. D. Lithvaniæ
Campiducis literis oppositæ.

Illustrissime Princeps.

Obsequia nostra pro præsentis status conditione
Illustrissimæ Celsni. Vestræ deferimus.

ACCepimus literas Illmæ Cels. Væ in Castris ad prædium Newgut mense Octobri, Anno proximè præterito editas, quas ad nostras literas hostiliter expugnatæ urbis nostræ indices Illma Celdo Va rescribendas censuit; easq; in consessu nostro, præsentibus Tribunis ac Senioribus utriusq; Collegii, publicè recitari fecimus. Ex quibus Illmam Cels. Vam ob deditionem urbis nostræ vehementer dolere, miserari quoq; pristinæ amicitiæ memorem hoc infortunium nostrum, & humanum hunc casum ut hominem quidem ferre, gravissimâ tamen cum famæ ac honoris nostri contumeliâ, nos cum

 persi-

perfidiæ ac inconstantiæ, tùm pusillanimitatis ac præcipitis, in dedendâ ultrò hosti urbe, nullâ urgente gravi necessitate, nec præmonitâ Ill^mâ Cels. V^a, consilii accusare, atq; exinde secuturos perpetuos angores & cruciatus, imò panolethriam & fatalem interitum nobis Civitatiq; nostræ ominari, ac proinde ad reassumendos pristinos animos & ad congratulandum Regi & Reipub. Polonæ de obtentâ nuper in Walachiâ contra Tartaros & Turcas victoriâ, nos pro veteri confidentiâ adhortari, intelleximus.

Ad varia istarum literarum, quas prima dictavit animi perturbatio, argumenta inter se & cum re uti gesta est pugnantia, non erat quidem ab initio animus nobis rescribere quicquam. Graves enim arduæq; rationes spem nobis faciebant fore, ut Tempori, quæ veritatis filia est, perturbati hic judicii error cederet, atq; cum jàm satis præter meritum nostrum (humano more loquendo) afflicti, & iniquam sævientis fortunæ aleam experti essemus, sibi à contumeliâ & læsione honoris nostri, quem semper salvum illibatumq; conservavimus, temperaret. Frequenti autem auditione indies accipimus, quàm iniqui ac periculosi in castris Ill^mæ Cels. V^æ inq; vicinis locis de nobis & expugnatione urbis nostræ etiamnùm spargantur sermones, quàmq; ignominiosam ipsa Illma C^do. V^a in nuperis suis ad D^nm Benedictum Hintz Collegam olim nostrum & alios occlusis passus literis (à quarum missione imposterum in nostram nostrorumq; perniciem

ciem meritò abstinendum) de inevitabili hâc derelictæ ac omni auxilio destitutæ Civitatis deditione mentionem faciat. Proinde ne in vindicando honore & existimatione nostrâ segniores videremur, aliter facere non potuimus, quin ad literas Ill^mæ C^nis. V^æ ea regereremus, quæ simplicem nostrum candorem & innocentiam arguerent. Testis sit hujus orationis ipse DEus, testes sint qui viderunt, amici, inimici: Audiat quoq; ea, quæ gesta sunt, legatq; mundus, & ad normam rectæ rationis sine affectu dijudicet. Quoniam verò autor literarum nimiâ styli acie nos perstringit, ac demonstrare nititur, Regiæ M^tis & Reipub. Polonæ nomine præstita esse, quæ à supremo ac directo Domino ad avertendos à Civitate sibi subjectâ belli casus & exitus requiruntur; econtrà à nobis officii fideiq; metas transgressis facta esse quæ omitti, omissa quæ fieri debuerunt: muneris nostri esse arbitrati sumus, pro innocentiâ nostrâ asserendâ evidenter ostendere, Regiam M^tem & Rempub. Polonam nihil præstitisse, quo tristissimus hic casus à nobis & Civitatis nostræ cervicibus averteretur; Nos verò ne à priori statu nostro & jure superioritatis Regni Poloniæ avelleremur, præstitisse omnia, quæ à bonis ac fidelibus subditis honoris ac cõscientiæ ratio postulat. Quod dum facimus, calamum nostrum ita temperabimus, ut veritatis cynosurâ secutus R^æ M^ti ac Reipub. Polonæ nihil detrahat, tribuatvè, unde major nobis nostrisq; factis, quàm par est, accedat æstimatio.

Non

Non putamus operæ precium esse longiùs hic recensere, quàm gravi in Regno Sveciæ Anno 1598. & 99. & unde subortum fuerit bellum intestinum: Sanè ignis ille succensus in Regnum usq; Poloniæ, eiq; adhærentes Provincias suas ejaculatus est scintillas, quæ in tantam belli flammam exarsêre, ut non solùm Livonia tota, nobilis illa Provincia, non unius olim sed variorum Magistratuum sedes ac mater fœcundissima, hostiumq; potentium, etiam non accersito aliundè auxilio, acerrima propulsatrix, in cinerem sit redacta; verùm etiam potentissimæ Poloniæ ac Magni Ducatus Lithvaniæ ditiones in restinguendo hoc cruenti belli incendio totos viginti annos occupatæ, ingentem virium virorum ac opum jacturam subjerint. Tantùm novissimas istas inducias biennales Ill^mæ Cel^nis V^æ uti Campiducis operâ & instinctu die 15. Novemb. Anno 1618. præsentibus nostris Internunciis, inter utraq; Regna sancitas, eidem in memoriam revocandas esse duximus, & quidem in hunc finem sancitas, ut intereà temporis, interventu Christianorum Principum, quod caput hujus inter utraq; Regna exortæ controversiæ est, vel sopiretur planè, vel per Senatores utriusq; Regni universales Induciæ longiores (ad quam rem plenioribus mandatis instructi accedere vellent) pangerentur.

Quam telam exorsurus Ill^is Dnus Jacobus de la Gardie, Generalis Exercituum Sveciæ Dux & Esthoniæ Gubernator, literas Revaliâ die 12 Octob. Anno 1619. id est, priori ab induciis renovatis anno ad Ducem Exercitus Mag. Duc. Lithvaniæ & Commissarium Livoniæ Generalem Ill^mum Dnum Joannem Carolum Chodkiewitz dedit, quibus significat, velle quidem Regem ac Dominum suum biennales istas inducias sanctè observare; deinceps verò, iis elapsis, in incertitudine istâ, ex certis rationibus quæ in iisdem literis enarrantur, ampliùs minimè versari, sed cum ipso Rege Poloniæ vel perpetuam & constantem pacem vel plurium annorum inducias inire, ac tùm Pernaviam quoq; ultrò restituere velle. A quâ sententiâ dimoveri nullâ ratione potuit Sveciæ Generalis, adeò ut, etiamsi Generalis Lithvaniæ creberrimis suis literis ac nunciis ad prorogandam pacem terminum sibi locumq; præfigi flagitaret, atq; eam ob rem in Livoniam ipse, de morbo suo ac itineris molestiâ parum sollicitus veniret, tamen ante directam & perspicuam resolutionē ad propositos articulos, ne tempus quidem aut locum præfigere, nedum ad ulteriores Tractatus progredi voluerit: De quibus omnibus transmissa à nobis exemplaria Ill^m Cels. V^am jàm tùm certiorem reddidére.

Cum verò voluntas ac animus Regis Poloniæ ad pacem suo nomine (quod unicè pars urgebat altera) stabiliendam, neq; propenderet ipse, neq; ullâ ratione permoveri posset, quid aliud inde, adhibitâ in consilium ratione, quàm belli redintegratio expectari potuit? Atq; ita se rem

habere

habere, variis ex locis adeoq; ipso regno Sveciæ & nos & ipsa Regia Mtas Poloniæ edocta fuit; nimirum bellum terrâ mariq; summis viribus præparari, in promptu esse omnes belli gerendi rationes & instrumenta, Regni incolas Ducum peritissimorum operâ tot annos assiduis exerceri armis, & inprimis omnes has machinationes caput Civitatis Rigensis petituras esse; de quo ipso Regia Mtas quoq;, ne incauti ab hoste opprimeremur, peculiaribus suis literis nos præmonitos voluit. Quid quòd in Regno Poloniæ jamdudum ad bellum hoc Turcicum, quod ex positione causarum secundarū prudentes ac cordati viri non pauci prævidebant atq; certò prænunciabant, res spectare videretur; ac sub idem ferè tempus, quo induciæ exspirabant, uterq; exercitus Polonici Dux cum flore selectissimi militis (quod infelix istius funestissimi belli initium fuit) à barbaris in Walachiâ oppressus interierit. Talia considerantem decuit sanè Regiam Mtem tanquam directum Dominum Livoniæ & Rempub. Polonam, partem sollicitudinis suæ in hanc quoq; desolatam Provinciam & Civitatem impendere, & vel exemplo aliorum Principum, qui in similibus casibus idem non rarò præstiterunt, ad securitatem fidelium subditorum, suo titulo ac nomine insignitam pacem & suspensionem armorum, dùm melior sese daret occasio, sine præjudicio negocii principalis amplecti, vel si id placeret minùs, Provinciæ ac Civitati de iis quæ ad necessariam defensionem pertinerent, maturè provi-

providere. Quàm nos ingruentis hujus belli & irruptionis hostilis metus, ex variis indiciis cōceptus torserit! quàm non forent nunc eæ Civitatis plùs quàm vicennali bello exhaustæ vires, quæ sustinendæ potentiæ majori pares esse possent! quanta esset totius Provinciæ, imprimis arcis Rigensis ac Dunæmundensis vastitas ac desolatio! satis sollicitè Internuntii nostri non tantùm superioribus annis sed & in proximè Warsaviæ celebratis Comitiis Regiæ Mti explicatum reddidére; atq; ne nos fideles subditos suos Ra Mtas in tanto rerum discrimine desereret, quin potiùs ob impendentis Turcici belli periculum, vel oblatas ab hoste diuturnioris pacis conditiones acceptare, vel in tempore defensionem Livoniæ meditari dignaretur; tùm quoq; ut arces principaliores, inprimis Rigensem ac Dunæmundensem omni præsidio nudatas muniri, milite, annonâ, bellicoq; apparatu instrui, & nostræ quoq; Civitati, si obsidenda foret, stipendia in quingentos aut sexcentos milites ad sex menses, pulverem pyrium, globosq; subministrari, (acceptâ à nobis cautione, restituenda fore omnia, si obsidio secuta non fuerit) deniq; sufficientem exercitum priorem hoste in possessionem campi venire juberet, per omnia sacra totius Civitatis nomine sunt precati; sin minùs, divinum numen totiusq; mundi judicium obtestati sunt.

Fateri quidem cogimur, Regiæ Mtis sollicitudinem, statìm ac nuncium de infaustâ strage Wallachicâ accepit,

eluxisse

eluxisse ex eo, quod, non expectatis Comitiis, per peculiares literas Illmæ Cni Væ utpote Campiduci defensionem Livoniæ commendârit, ad conscribendum exercituum sufficientem Universales literas transmiserit, Ducem Curlandiæ & Semigalliæ, nec non Ultra-dunensem, Curonensem, Piltensemq; Nobilitatem, hancq; ipsam urbem nostram, hoste ingruente, ad Illm Cels. Vm remiserit. Nec deposuit hanc curam Regia Mtas etiam in ipsis Comitiis DD Senatorum & Internunciorum Terrestrium votis & assensu adjuta, imò Illma Cne. Va autore & promotore summâ animi contentione adegit, ut, sive ad pacem sive ad bellum res spectaret, omnia ista consilia & actiones non nisi Regiam prudentiam & paternam sollicitudinem præ se ferrent. Etenim non tantum Commissio DDnis Commissariis de prolongandis sub titulo ac nomine Regiæ Mtis in certũ tempus induciis edi jussa, verùm etiamsi tractatus non succederent, Illmæ Cni. Væ unanimi omnium Ordinũ suffragio à Regia Mte potestas defendendæ Livoniæ & belli gerendi data, sumtus ex ærario Magni Ducatus Lithvaniæ decreti, nostriq; adeò Internuncii responso solatii pleno dimissi sunt, atq; nos sicubi necessitas postularet, ad Illm Cels. Vm ut pote Campiducem ire jussi sumus.

Non minori laude dignum censemus animum Illmæ Celsnis Væ utpote quæ eâ quâ decebat fide & industriâ Mandata Regiæ Mtis exequi, omnia conquirere quæ ad hanc expeditionem facerent, equitatum peditatumq; exi-

guo temporis spacio partìm colligere, partìm Capitaneos ac Præfectos constituere, iisq; colligendi militis potestatem dare non intermisit. At verò maximo dolore affecti sumus, cùm intelligeremus, sana hæc consilia tam subitò interversa esse, inventosq; alios, qui, dum Illm Cels. Vm præpropera Fratris laudabilis memoriæ Principis Ianussii &c. &c. Castellani olim Vilnensis mors à Comitiis justo citiùs avocaret, amabilem spem pacis Regiæ Mti sub priori Statuum non ipsius Regis assecuratione ineundæ facerent, Livoniæq; defensionem jam decretam in suspenso relinquendam suaderent, idq; non tantum contra communem Ordinum legem, sed & speciale mandatum à Regiâ Mte Rdmo Dño Cancellario Regni datum. Et hæc ipsa mandata tractandi cuinam data sunt? Non Illmæ Celsni Væ Campiductori, sed Dño Generali Mag. Ducat. Lithvaniæ Joanni Carolo Chodkiewicio (tametsi ille ex decreto Comitiali contra Turcas Dux iturus erat) & prioribus Commissariis: ad quid? ut pacem vel inducias non Regia manus nomenvè (à quo parti alteri ne latum unguem recedere certum erat) sed DD. Senatorum duntaxat autoritas confirmaret. Sed et hoc maximè doluimus, quod tùm demum præsidia in arcibus collocare & militiam instruere Illmæ Cels. Væ permissum fuerit, quando Tractatus felicem finem sortituri non essent, & bellum redintegrandum foret; obserrato intereà ærario Mag. Duc. Lithvaniæ.

Hæc consiliorum metamorphosis animos nostros tanto reddidit perturbatiores, quanto bellum terrâ mariq; validè restaurari, relationes, quas sub initium noviter ineuntis anni ex diversis locis accepimus, confirmârunt certiùs. Eaq; Illma C^{do} V^{ra} nō tantùm ex variis literis nostris, sed & ex iis, quæ noster ad exequias dicti Dñi Castellani Vilnensis fratris Ill^{mæ} C^{nis} V^{ræ} missus Internuncius retulit, abundè intelligere, atq; non sibi soli habere, sed eâdem quâ nos diligentiâ Regiæ M^{ti} & DD. Senatoribus Regni Magniq; Ducatus Lithvaniæ communicare dignata fuit. Quid autem cæteri consultores in vidi? præconceptam semel de induciis ad priorem normam redintegrandis opinionem mordicùs tenere, in clausulâ ibidem insertâ, quæ non nisi præviâ denunciatione trimestri, si tentati tractatus malè cesserint, arma resumere jubet, firmam spem locare (quæ tamen denuntiatio armorum 28 Martii facta est) cum ratione insanire, quasi bellica hæc expeditio vel contra Mosebum, vel pro Palatino Rheni adornata esset, hostem viresq; hostiles, utcunq; res ceciderit, (quod maximum in bellis peccatum est) præ se contemtui ducere, Rigam urbem censere ejus potentiæ quæ expugnari non possit, & maximum defensionis subsidium ab indigenis vicinorum aliquot Samogitiæ districtuum, nec non Ducatus Curlandiæ & Piltensis expectare; parum attendentes querulas nostrorum voces & lamentationes, qui in Comitiis superioribus aliquot publicè nostro nomine

conte-

contestati sunt, non esse ampliùs eas Civitatis nostræ vires, quæ solæ obsidionem nullis subnixæ præsidiis aut auxiliaribus copiis sustinere possent: Quàm parum etiam spei subsit in Provincialium subsidio, quibus solenne semper fuit limites potiùs tueri suos, quàm contra hostem in aciem prodire, R^{m} M^{tem} & anteriores belli Duces non latuit, idq; superiora testata sunt tempora ac bella in Livoniâ gesta, atq; adeò ipsammet Ill^{m} Cels. V^{m} experientia magistra satis, proh dolor, edoctam dedit.

Hanc infelicitatem nostram imis suspiriis deploravimus, variisq; literis ac nunciis nostris coram Regia M^{te} & DD. Senatoribus, ope atq; auxilio Reipub. implorato, questi sumus. Sed surdis narrata est fabula; Atq; nos eandem, quam Livonia semper, fortunæ aleam nunc quoq; experiri coacti sumus; sic sanè nunquam anteà maturè auxilia submissa, nunquam Provincia contra hostes Reipub. defensa, sed quasi derelicta atq; hostis arbitrio objecta fuit: Amissâ verò; non tàm contra hostes, quàm miseros indigenas subditosq; innocentes totis viribus sævitum est, perfidiæ ac læsæ Majestatis criminis incusatos, quod miracula edere, soliq; armatorum hostium potentiam propulsare non potuerint, aut superati in iis, quas inhabitârunt, arcibus & territoriis, spontè in exilium migrare noluerint.

Facillima sanè hæc videtur religionis nationisq; exstirpandæ ratio, præsente Illma Cels. V^{ra} aliisq; Nobilibus

Venda

Vendæ Anno 1618. votis comprobata eorum, qui zelo quodam spirituali inflammati, felicem propagandæ religionis progressum interitu Provinciæ & inprimis hujus Civitatis metiri, & de reformandâ in universum & statui Ecclesiastico vicissim subjugandâ atq; appropriandâ Provinciâ desperare visi sunt, nisi priùs ad Volmariæ Vendæq; vastitatem ac desolationem Riga quoq; redacta fuerit: Quorum sententiæ alii immerito quodam erga nos concepto odio, licet plurimis in rebus ab iisdem dissentirent, hâc in parte abblandiri non dubitârunt. Cui rei etiam non parum fortassè adjumenti attulit hæreditarium contra Ill^{m} Cels. V^{m} & Domum Ipsius Ducalem odium, verbis factisq; expressum, quò viæ ad virtutem exserendam, & benè de Repub. merendum Ill^{mæ} Cels. V^{æ} occluderentur, de nobis verò cultæ cum Illma Cels. V^{a} & Ducali ejusdem prosapiâ mutuò amicitiæ (quæ unica invidiæ hujus ac malevolentiæ mater est) quasi vindicta sumeretur.

Ad assequendum autem hunc scopum, intenti in hanc occasionem fuêre oculi eorum, qui eo potissimum tempore, quo plurimùm se autoritate suâ efficere posse sperabant, Regem optimum in id induxerunt, ut de successu tractatuum ex præscripto prioris formulæ instituendorum nullatenus dubitaret, aut denunciationem armorum nullius momenti esse crederet. Non carebat res periculo, quod hâc ratione commissa Ill^{mæ} C^{ni} V^{æ} publica Comitiorum autori-

autoritate defensionis præparatio usq; ad dubium eorundem tractatuum eventũ suspensa, expeditio bellica & militis collectio, clauso intereà Mag. Duc. Lithvaniæ ærario, inhibita, imò copiæ jàm conscriptæ variis illecebris ac artibus abalienatæ à Capitaneis & Equitum Præfectis fuerint, non sine insigni Ill^{mæ} C^{nis} V^{æ} cujus militiæ nomina sua jam professi erant, contumeliâ.

Perniciosa ista consilia quis exceperit exitus, etiamnùm in propatulo est. Persuasioni enim Reg. M^{ti} factæ tractatuum eventus minimè respondit; siquidem dictus Dñs Generalis Exercituum Sueciæ Dux, non expectatâ nostrorum Commissariorum, qui in tantâ re plus nimio socordes fuerant, declaratione, per literas satis efficaces Borgis die 28. Martii ejusdem Anni 1621, editas nomine Ser^{mi} Regis sui, indictis armis, inducias resignavit; & cùm nihilominùs ad tractandam sub conditionibus suprà expressis pacem, si modò nostri simili mandato, sine quo inanes futuræ essent omnes istius Conventus actiones, instructi venirent, terminum iis primam diem Maii & locum inter Oberpahlum & Album-Lapidem præfixisset, ibi tùm nostri adeò imparati ad rem accessêre, ut arctitudinem istius termini, quem tamen ipsi metu impendentis periculi tempestivè impetrare debebant, deprecati, dilationis veniam petere necessum habuerint.

Nos visis hisce literis advertimus statim, convenire hanc externam hostis actionem, cum omnibus iis, quæ de

ipsius præparatione ac intentione nobis relata fuerant: & ut hæc ipsa hinc inde allata ad nos nuncia, & quid de iis nos sentiremus, Dñi Commissarii quoq; loco & tempore designato congressi scirent, omnem operam dedimus, ablegato ad eundem locum publicis sumtibus, è civium numero, qui quæ ibi agerentur, studiosè attenderet, & celeri viâ ad nos referret, & inprimis capita Instructionis, de quibus nobis contra consuetudinem Regni Poloniæ quicquam scire hactenus non licuit, quoad formam & materiam nobis transmittenda à Dñis Commissariis impetraret. Res autem ipsa ostendit, cum nostrorum Instructio Regiâ manu ac sigillo insignita non esset, repudiatâ pace, certò ad arma denuò rem venturam esse; neq; vanum fuisse timorem ac sollicitudinem Rigensium, quibus anteà de bello vociferantibus, quasi vel pusillanimes essent, vel privatis rebus studerent, fides habita nunquam fuit.

Sed & ab ipsâ denuntiatione belli fortè suffecisset adhuc tempus ad defensionem præparandam necessarium, nisi novum derepentè eumq; perniciosum quàmplurimi tàm in aulâ Regiæ Mtis, quàm hic in viciniâ sparsissent errorem, quasi Svecica ista belli expeditio in rem Sermi Electoris Brandenburgici, promovendi tantùm feudi Prussici ergò suscepta quidem, sed nunc, re per DD. Commissarios feliciter transactâ, & promissione pacis apud Serenissimum Regem Sveciæ impetrandæ, Regiæ Mti Poloniæ inter reliquas conditiones ab Electore factâ, po-

sita ac

sita ac sopita esset. Quæ jucunda quidem at falsa persuasio, mentes quàm plurium hominũ occupavit adeò, ut torpore quodam lento quasi fascinati debitam sollicitudinem defensionis ferè deponerent, non attendentes; in rebus tanto cum periculo conjunctis, indictis publicè & notoriè præparatis armis, ex alienis causis & longè petitis circumstantiis, timenda potiùs omnia, quàm incerta speranda esse. Contra quorum opiniones tàm per literas quàm oretenus vehementer disputavimus atq; missis creberrimis ad Regiam Mtem ibidemq; in aulâ residentes DD. Senatores ac Officiales, nec non ad Mag. Duc. Lithvæ Exercitus Ducem & Livoniæ Commissarium Generalem, tàm ante quàm post ipsius in Podoliam abitum (ad quem Regia Mtas nos literis quibusdam suis remiserat) porrò ad Illm Cels. Vm Sluckoviam usq;, ad DD. Senatores Mag. Duc. Lithvaniæ ad Conventum & Tribunal Vilnense, tum quoq; ad 4. istos districtus, quibus tuendæ Livoniæ provincia demandata erat Upitensem, Wilkomiriensem, Rosseinensem & Braclaviensem, simulq; ad Ducatum Curlandiæ, Nobilitatem Piltensem, & ad paucos eos, qui adhuc in Livoniâ residebant arcium Capitaneos, literis ac nunciis, quanta nobis instarent pericula, diligenter ob oculos iisdem posuimus, vires ac potentiam hostis terrâ mariq; instructissimi propediem adventuri, ejusq; in obsidenda hâc urbe decretum immutabile aperuimus; preces & suspiria literis jungentes, ut aut Regiâ Inductarum assecuratione huic malo obviam iretur, aut

 præsi-

præsidia qualiacunq;, Germanorum Polonorumvè, peditum equitumvè (quod anteà nunquam, dum melior nobis fortuna arrideret, admisimus, quin nostro potiùs stipendio milites octingentos, imò plures, qui ad numerum interdum millenarium accedebant, aluimus) & copiæ quoq; subsidiariæ necessitati nostræ submitterentur, arces Dunæmundensis, Kokenhausensis, Rigensis omni præsidio & annonâ destitutæ, maturè rebus ad obsidionem tolerandam necessariis instruerentur; prætereà ut illam arcis Rigensis ruinosæ ac inermis partem, quæ occupata maximum Civitati periculum minitaretur, nobis destruere liceret; considerarent periculi magnitudinem, in quo si desereremur, fore prædiximus, ut vicinæ quoq; Provinciæ exitii nostri damna participaturæ essent; Insuper per Secretarium nostrum in aulâ Regiâ agentem, summo quo potuit fieri studio Revdmum Dnm Archi-Episcopum ac Primatem Regni, nec non DD. Consiliarios, Officiales, ac cubiculi Regii Præfectos sollicitavimus (quod ipsum quoq; Dnus Marescalcus Terrestris Curlandiæ Dionysius ab Oelsen, & à DD. Commissariis missus Internuncius Vrangelius Equitum Præfectus fideliter gnaviterq; præstiterunt) exorarent deniq; Regiam Mtem, ut perpensâ hâc extremâ, quâ undequaq; Regnum cingeretur, necessitate, exempla aliorum Principum secuta, hâc vice inducias Regii tituli autoritate iniret atq; confirmaret: sin minùs, legitimam, ut dictum, defensionem præstaret. Sed illud ne profusis quidem lacrymis obtineri potuit; hoc verò Regiæ Mtis

Mtis literæ multiplices & responsa per Dnm Archi-Episcopum reddita sanctè nobis promiserunt, non desertum nos, sed debitè defensum iri.

Posteà cùm jàm in discrimen res deducta esset, præsidiariam 500. peditum manum Gedano expectare jussi sumus; ac tùm demùm Illmæ Cni Væ Universales literæ expeditoriæ traditæ, atq; ærarium Lithvæ reclusum est, cùm jàm robur ac flos militiæ è Lithvaniâ, Livoniâ, Curlandiâ & ex hâc ipsâ Civitate conquisitus contra Turcam in Podoliam abductus, collecti quoq; contributionum in Comitiis decretarum reditus Provinciales jam hinc avecti essent. Atq; eodem demum tempore è Thesauro Lithvaniæ Revisor quidam cum aliquâ pecuniæ summulâ ad nos venit, qui arces Dunæmundemsem, Kokenhausensem, Rigensem, implorato nostro in subministrandis materiis operariisq; auxilio, muniret.

Ingruentem verò hostilem impressionem ac obsidionem etiam tùm pro fabulâ ac ludibrio nihilominùs habitam esse vel inde patet, quod nostro in aulâ agenti Secretario objecta contra Jesuitas Actores amicos nostros multis rerum argumentis comprabatos Exceptio armorum amputata sit, quasi ea, uti Jesuitæ asserebant, ad eludendum tantùm Judicium prætenderetur; Citationes quoquè criminales ratione cusæ hactenus à nobis monetæ, vigore Privilegii & continui usus, quæ sanè tàm in pondere quàm valore monetam Regni & Magni

 Duca-

Ducatus Lithvaniæ superabat, ad instantiam Instigatoris (unde tantisper, donec auxilia Reipub. subvenirent, solatium caperemus) per eundem Revisorem Thesauri Lithvanici nobis insinuatæ sint: egregium verò tormentorum numerum, sub sufficienti nostrâ cautione Dunæmundâ abducendi, ac lapidum quendam acervum de summitate arcis Rigensis dejiciendi potestas nobis denegata sit, satiusq; ductum, tàm nos, quàm Dunamundenses machinas hostis direptioni objicere.

Parem quoq; fidem ac animorum propensionem apud Tribunal Vilnense ac Conventus præfatorum quatuor districtuum atq; viciniam omnem reperimus; nimirum, non esse credenda quæ Rigenses de bello spargerent, Panico terrore eos perculsos esse, carere animis; Proinde neq; veriti sunt nimiam nostram credulitatem, quæ copias subsidiarias Reipub. in Provinciam attraheret (siquidem Mars ipse nondum oculis cerneretur) publicè accusare atq; flagitare à nobis, ut eadem literis nostris repudiatæ gradum sistere juberentur; nî fieret, contra nos protestari, quinimò eò temeritatis devenire, ut irrupturi etiam hostis potentiam ac obsidionem vel totum nos annum tolerare posse ineptè statuerent, publicèq; profiterentur.

Ex hâc hominum incredulitate majus ad curam & sollicitudinem Ill^{mæ} Cels. V^{æ} augmentum accessit, quippe quæ paci non confisa unà nobiscum de bello ingruenti vociferari non desiit, ad auxilium nobis maturè ferendum, campumq; occupandum promtissima, si quæ ad bellum gerendum necessaria erant ad manus habuisset, aut eâ quâ decebat celeritate comparare potuisset. Non prætermisimus variis literis nostris compellare Ill^m Cels. V^m, cum videremus militem tumultuarium, qui justum exercitum conficeret, tempestivè satis conscribi, nobisq; suppetias venire non posse, dignaretur quantocyùs milite atq; apparatu bellico arces præfatas munire, atq; inprimis in nostram Civitatem præsidia mittere, de quibus quidem, ut in bello fieri solet, nunquam non spes nobis ab Ill^a C^{ne} V^a facta, sed tamen ne unicus miles submissus in Civitatem fuit: præterquam quod Schwartzhoffium Equitum Præfectum Illma C^{do} V^a turmâ suâ Dunamundam nudam ac inermem occupare, nos verò commune periculum eidem frumentum, sal, polentam, aliaq; necessaria suppeditare jusserit. Nec minorem nobis difficultatem peperêre bini illi Equitum Præfecti Wilhelmus de La-Barre & Gabriel Ceridon, qui licet vigore literarum Universalium nomine Ill^{mæ} C^{nis} V^æ per nos ipsis exhibitarum cum cohortibus suis defensionem arcis Rigensis suscipere tenerentur, ab initio tamen propter nuditatem arcis ac defectum omnium rerum hanc provinciam, & quidem non immeritò, detrectârunt.

Ex his & aliis rerum testimoniis, quis non videt in diem vixisse omnes, nec fuisse præter Ill^m Cels. V^m & nos quemquam, qui periculum ullum belli metueret? In tantâ verò

tâ verò rerum perturbatione animis tamen fracti non sumus, quin majori alacritate & industriâ, pro modulo virium nostrarum, nihil intentatum reliquimus, quod ad propulsandos hostiles impetus conservandamq; Civitatem pertinere videretur. In specie præter eos, qui jàm Civitati merebant, Capitaneos, Officiales ac milites, alium insuper rei militaris peritiâ insignem Capitaneum Wilhelmum Schoutten, efflagitatu nostro Lubecæ exautoratum, nostro stipendio conduximus, datâ tùm simul ipsi & deinde per literas potestate, quantumcunq; militum numerum secum ad nos traducendi. Similiter & Capitaneum Joannem Hillen aliosq; quamplurimos Officiales, tormentorum magistros, & quicquid militis tumultuarii conquiri potuit, autoravimus: Adhæc machinas nostras bellicas & armamentaria, quantũ per temporis brevitatem licuit adornari, triremes ac munitiones ad fluvium Dunam reparari, valla mœniaq; pristinæ firmitati restitui, novum illud propugnaculum angulare ad D. Jacobi portam ingenti labore ac sumtu consummari, fossas expurgari, loricas cespiticias ad basin vallorum erigi, loca quæ non satis tuta viderentur ac hosti pervia muniri, juventutem armis exerceri, omniaq; ad debitam defensionem necessaria, quàm potuit fieri solertissimè, ordinari ac disponi curavimus. Quibus in rebus omnibus tantam alacritatem nostrorum videre fuit, ut pro se quisque unà cum suis domesticis, adinstar operariorum in fossis val-

sis val-

sis vallisq; molestissimos quosq; labores subire non detrectaverint, adeoq; hemicyclos Semilunia, loricas vallorũ, aliaq; similia opera in locis hostili machinationi perviis ac nudis, summâ celeritate ante adventum hostis perfecerint, meriti applausum admirationem ac laudem peregrinorum in Urbem adventantium. Neq; verò etiam Arci Rigensi ac Dunamundensi idoneis opificibus, operariis, tormentorum Magistris & materiis, aliisq; rebus necessariis, nec non annonâ, instrumentis bellicis ad fidem publicam iisdem subministratis, ope atq; auxilio nostro, domestica opera quodammodo postponentes, defuimus.

Insuper cum Dñus Nicolaus Okun Vice-Capitaneus Arcis Rigensis, nobilis miles, ejusdem, licet 25. tantũ præsidiariis Lithvanicis vulgò Wybrance dictis custodiretur, strenuum se defensorem professus, ad quoscunq; fortunæ ictus fortiter sustinendos unà nobiscum paratus esset, perpenso summo, quod eadem arx vicina ruinosa nobis minaretur periculo, cum præfatis equitum Præfectis de La-Barre & Ceridone, defectum peditatus equitatu non tàm in usum urbis nostræ quàm in terrorem hostis supplere volentes, 8. Augusti convenimus, ut se in arcem cum equitatu suo transferrent: & promissum quidem ipsis in capita & septimanas trium talerorum unà cum pabulo in equos, ultra quod à Rege merebantur, quandiu nobis adfuêre, integrũ, juxta quietationes nobis redditas, stipendium exsolvimus, sed exiguum sanè vicissim emolumentũ exin-

 de per-

de percepimus. Ac quoniam equitum Præfectus de La-Barre non Illæ Cni Væ sed Dno Palatino Podoliæ Zamoyscio militiæ sacramento obstrictus erat, cautionem à nobis extorsit, si hæc conventio fortè sibi fraudi foret, aut rejecto per Illm Cni Vm calculo ipsius damnum aliquod ac deminutionem in stipendio regio sentire cogeretur, illud nos resarcire, atq; in omnibus ipsum commilitonesq; ejus indemnes præstare cogeremur. Quæ conditio tantam in hoc negocio difficultatem peperit, ut duodecimâ demùm Augusti summâ ita necessitate jubente ad finem sit deductum, prout ad Regiam Mtem & Illm Celsi. Vm perscripsimus. Sanè nos tanto sumtuum dispendio supersedere potuissemus, si necessitati Arcis istius tempestivè Respub. succursum ivisset.

Silentio hîc præterimus sumtus ingentes, quos durante obsidione in opifices ac operarios, quorum operis ægrè ipsi carere potuimus, ad reparanda valla ac propugnacula arcis ruinosæ & inermis contra hostiles impetus construenda, non pari quidem semper numero sed propè centenarium æquante, conductos erogavimus: Tum quoq; quod ex conventione cum præfatis Equitum Præfectis initâ, nostram manum, quæ ad minimum 60. ad centum usq;, præter equitatum, constabat viris, cum præsidio arcis conjungere & tàm in usum Arcis quàm Urbis aggerum fossores ingenti sumtu, Belgarum more, durante obsidione alere coacti sumus.

Præ-

Præterea cum jàm hostis cum suâ classe 160. navibus constante, jma Augusti ad ostium Dunæ appulisset, et quarta ejusdem ipsum flumen intrâsset, castraq; metari ad Mublgrabium cœpisset, quippe potentior, quàm cui copiæ nostræ navales exiguæ resisterent (quæ tamen ipsæ pro mediocritate virium suarum naviculas binas interceptas in prædam duxêre) nos imbecillitatem nostram & absentiam exercitus campestris, in quo unicè salus suburbiorum nostrorum sita erat, considerantes, non habitâ ratione ullâ ædificiorum nostrorum magno precio secundâ tertiâq; vice erectorum, molendinorum, hortorumq; excultissimorum nec non calamitatis & miseriæ inquilinorum, concordi omnium Ordinum suffragio decrevimus, incendio consumenda, inq; cinerem redigenda suburbana omnia. Nec mora; jacturam hanc animosè aspernati, in sua quisq; ædificia & hortos sævire, certatim ignem ferrumq; immittere, arbores luxuriantes & fructiferas unà cum sepimentis hortorum excidere, in medio igni fumoq;, quæcunq; in circulo suburbano extabant, magno labore nec sine periculo solo æquare.

Quid ultrà? Cùm neq; Lubeca neq; Borussia, multiplici ac numerosâ militum collectione, ob quam crescere indies ac augeri in immensum stipendia necesse erat, evacuatæ, copias ullas nobis reliquas fecissent; In hâc vero Urbe totaq; Livoniâ ac Curlandiâ, viris in Podoliam abductis, exhaustâ non posset conquiri major militum numerus, quàm qui (exceptis tormentorum Magistris) ad

 trecen-

trecentos assurgeret; neq; subvenirent Gedano à Regiâ M^{te} atq; ex Lithvaniâ ab Ill^{mâ} C^{ne} V^{â} flagitata ac promissa sæpiùs præsidia, Nobiles Livonos quotcunq; vellent, quorum aliqui operam suam nobis offerebant ipsi, ad id inducendos, eosq; tanquam viros strenuos ac militares mediocri stipendio menstruo apud nos in communi hoc periculo alendos censuimus, ut hâc ratione copiæ nostræ contra hostem auctiores redderentur: Verùm illi majus quàm par erat & fortunæ nostræ paterentur, & quidem in equites nulli nobis aut sanè parvo usui futuros, stipendium nec non alias immunitates ac libertates nos postulare satagebant; ac procul à Jove & fulmine nos solos furori sævientis Martis propinare, nostri infortunii spectatores agere, ac post nostrum naufragium, quòcunq; fortuna inclinaret, cursum suum dirigere se potiùs velle visi sunt, quàm nostræ & communis miseriæ partem aliquam capere.

Cujus farinæ plures quoq; inventi sunt, qui procacitati linguæ plus nimio indulgentes Civitati insultare, sermones de bello spernere; posteà verò ingravescenti indies discrimini unà cum uxoribus ac liberis sese subducere, ac Arcium custodiam vix uni aut alteri rusticorum vel mulierculàrum committere non dubitàrunt, nimirum hi ipsi, qui linguâ potiùs quàm animo fortes in libero campo Rigenses sub sui judicii censuram etiamnùm vocant, nec vident manticæ quod in tergo est: paucos Nobilium excipimus, qui in urbem hanc commigrantes ad subeundam nobiscum utriusq; fortunæ aleam sese vigore certæ cujusdam conventionis obstrictos esse voluerunt.

In tanto rerum defectu, cùm nihilominùs urbs nostra pro virili defendenda esset, noluimus deesse officio nostro, aut animos despondentes hostis actiones ociosis oculis intueri: Quin potius fideles Cives nostros eorumque hospites, peregrinos, servitores, nec non operarios armis accinximus, latisque disciplinæ militaris legibus, ductorum ac Officialium imperio parére jussimus, quemcunque tandem successum divinum numen largiturum esset.

Cum verò jàm ordines virique armorum capaces in quadrifariam urbis regiones, arcem, aliaque propugnacula ac munitiones tàm superiores quàm inferiores distribuerentur, ex distractione virium nostrarum in varia loca infirmitudinem ac paucitatem præsidiorum oriri necessùm fuit. Trecenti enim illi stipendiarii in triremibus ac munitionibus ad flumen, in Arce, in binis illis Semilunis ad pomœrium portæ stabulariæ, & ad propugnaculum arenarium dispositi, continuis vigiliis ac molestiis mancipati sunt. Nec melior cives nostros ac incolas fortuna mansit, qui in amplis illis ac vastis quadrigeminis urbis partibus contra hostem terrâ mariq; nocte dieque nobis insidias struentem in præsidiis alternis per

per vices locorum disordinati, toto obsidionis tempore vix arma, nedum vestes deponere, aut quietem ullam capere potuerunt. Et quamvis ab Illmâ Cne Vâ tàm subitò hoc præsertim perturbatissimo Reip. statu, justum exercitum, qui nostræ defensioni sufficeret conquisitum iri valde dubitaremus, ac recordatiò eorum, quæ anteà Provinciales in simili casu facere consueverunt, in varias ac ancipites cogitandi curas animos nostros distraheret, non potuimus tamen nobis non polliceri certò de Illmâ Cne Vâ, eandem, sicubi ad decernendum acie cum hoste sese non satis instructam sentiret, cum iis ipsis, quas haberet copiis acceleraturam, & ad continuas preces nostras justum exercitum præsidiarium in urbem introducturam fuisse. Quod sanè viis ad nos aditibusq; nondũ interclusis factũ oportuit. Hostis quidẽ posteaquàm eductas ex navibus copias, simulq; eas, quæ terrestri itinere advenerãt, lustrâsset, ac fortissimis castris ad Mühlgrabium se muniisset, contẽplatus opportunitates locorum propius Urbem, in velitari pugnâ cum nostratibus penes palæstram jaculatoriam quam perticam aviariam vocant initâ, de propugnaculis & turri arenariâ strenuè, exceptus est. Sed posteà 12. Augusti literis nos monere cœpit, ut nimirum Internuncios nostros in castra ad Mühlgrabium mitteremus, qui certis conditionibus secum ibidem paciscerentur, acceptoq; à nobis debito responso; (non esse videlicet muneris nostri tractare cum hoste, à Regiâ Mte Poloniæ in Comitiis eo

ipso

ipso mense celebratis vel subsidia idonea vel compositionis media, quæ ne tùm quidem impossibilia visa sunt, ad affectationem nostram procul dubio decretum iri) non moratus diutiùs, à mane statim diei sequentis, nempe (13. Augusti) triremibus ac navigiis quibusdam, quæ septem vehebant vexilla peditum, Dunæ flumen adversum ascendit, ac sine morâ in Insula minori è regione arcis propinquæ sitâ, aggeres struere; eodemq; statim die ingenti conatu & impetu ab hac urbis parte castra metari incipit. Etsi autem virtuti nostratium in frangendis hostilibus hisce impressionibus terrâ mariq; factis, primâ facie abblandiri fortuna visa est, beneq; sese dederunt initia, dum signis illis septem militum pedem referre coactis, insignes binæ triremes globis transverberatæ penè aquis mergerentur, quarum tamen altera machinis quibusdam bellicis & commeatu onusta, in prædam ducta, altera in aquis igni consumta est; navis quoq; Iovis nomine insignita vix evaderet, & militum non pauci interirent: de turri similiter, cui ab arenâ nomen est, aliisq; propugnaculis ab hâc parte certatim emissa globorum fulmina per medios viros ipsiusq; Regis tentoria ruentia, magno numero obvias cohortes ferirent, proximos quoq; Regi ac Principi viros sternerent: Attamen quod in bellis solenne esse solet, non eodem diu fortuna læta permansit loco, sed mutavit vices: Siquidem hostis jacturam suorum horrendis tormentorum ictibus cadentium susq; deq; ferens, eâ

ipsâ

ipsâ nocte à ripâ Dunæ fluminis ad Hintzii prædium usq;, atq; inde per montes arenosos usq; ad Mühlgrabium longinquos aggerum tractus fossasq; profundas perfici, propugnacula itidem ligno terrâq; firmata (14. Augusti) in prædiis Hintzii & Rigemanni contra Illm Cels. Vm erigi curavit, & circa vesperam è longinquo in Turrim, propugnaculum angulare & Semilunium, quibus arena nomen indidit, displodendi tormenta initium fecit. Tùm quoq; penes D. Georgii Nosocomium (die 15. Augusti) validam munitionem exstruxit; quam quidem primo diluculo diei insequentis bini Regii equitum Præfecti nostris militibus stipati adoriri atq; destruere connisi sunt, forti sanè impetu, sed parum felici successu, licet de vallis quoq; & propugnaculis nostis conatus ille strenuè juvaretur; mox (eodem) penes prædium Wittianum munimentum tormentarium vulgò Battoriam dictum, fundavit, atq; ex eo globos 25. pondo in turrim nostram arenariam, de qua pridiè ingentia hosti damna illata erant atq; nunc vices strenuè reddebantur, ejaculatus est: Postero die, qui erat decimus septimus Augusti, missis sine intermissione in urbem globis, Prætorium, templa, ædesq; quamplurimas ruinis deformavit, atq; novum insuper munitionis opus in horto Dni Proconsulis Rami fieri fecit. Simili ratione intra paucos hosce dies ultra Dunam penes turrim, validum propugncaulum deproperavit, ex eoq; & aliis vicinis castellis in portas nostras, inq; ipsam

urbem indesinenter fulminavit, ac nominatim triremes nostras adeò quassavit, ut ex alterâ majori tantùm non submersâ tormenta noctu versatili tympano extrahi vix potuerint, reliquæ intinfluentē paludem concameratam intra urbis pomœria subductæ atq; occultatæ fuerint; imò ut ne equos quidem suos equitū Præfecti in arce tanto jaculorum discrimini obnoxiâ, sed in urbe potiùs alendos existimarent, ipsi verò excubias ibidem alternatim agerent.

Aperire quidem dignata erat Illma Cdo Va nobis (15. Augusti) per Guilhelmum Barberium Gallum, suum de turbandis per impetum Kazakorum Lysowscianorum ab hac parte hostis machinationibus, & de suâ impressione ab illâ parte in hostem faciendâ, consilium; ad quod perficiendum nostras quoq; vires cum Illmâ Cdne Vâ conjungere, triremibus ac navigiis nostris eidem adesse, tormenta pulverem, globos, palas, aliaq; instrumenta bellica communicare jubebamur: Verùm cùm jàm hostis à discessu Barberii, loci, quem ipse aliiq; paulò antè lustraverant, opportunitatem occupâsset, aggeribusq; eundem firmâsset, facilè videre fuit, nullam superfore rationem consilii istius in effectum deducendi. Unde non vana animos nostros subiit sollicitudo, nî subitò Illma Cdo Vra nobis succursum veniret, omnes viarum aditus adeò occlusum iri, ut impossibile deinceps futurum sit Illmæ Cdni Væ multis millibus ad nos auxilio suo sublevandos perrumpere: quod ipsum exitus posteà comprobavit. Quare expedi-

tis hinc (18. Augusti) per medios hostes & circumstantia pericula Nobili Friderico Büring & villico nostro Henrico Wessel Ill^m Cels. V^am, præterquàm quod jam anteà à Barberio ac variis nunciis nec non ex literis nostris statum nostrum didicisset, denuò de ingravescenti indies obsidione nostrâ informandam, ejusdemq; opem ac auxilium, antequàm ab hoste arctiùs constringeremur, impetrandum duximus.

Intereà temporis hostis minimè ociatus est: Etenim versus portam arenariam nocturno tempore fossas triplicatas & sinuosas, usq; ad molam aquariam, atq; inde ulterius per hortum Michaëlis Brauweri Pharmacopolæ usq; ad stratam lapidibus plateam ante D. Jacobi portam, prope ipsas urbis fossas, ac simul eâdem operâ ex iisdem fossis suis in distinctis locis, prout quisq; commodus ipsi visus est, mirabili celeritate, munitiones (quas Battorias vocant) tàm veras quàm fallaces seu imaginarias duci erigiq; curavit. Ex quibus (die 20. Augusti) angulare propugnaculum Jacobæum, & imprimis laterales nostras munitiones continuis validisq; tormentorum ictibus non incassum verberavit. Sed de nostris quoq; propugnaculis hosti satis iracundè responsum fuit: Unde & Chiliarchæ seu Tribuni Sittonis munimentum unà cum machinis ibidem positis disturbatum est.

Posteris diebus fortalitium sive castellum in insulâ Ebbiand, ex quo nostratium non pauci, homines, equi, qui aquam è Dunâ haustum iταverant, petiti sunt, & alia bina castella sive munimenta ad intercludendum planè per aquas transitũ, alterum in insulâ Dn. Proconsulis Ioannis Friderici, alterum è regione in Jesuitarum nimirum insulâ Düwelsholm dictâ, erecta sunt: quæ nos summis viribus, de vallis, aggeribus Dunæ, triremibus ac navigiis nostris fulminando, impedire, sed frustrà conati sumus; in quâ tamen pugnâ utrinq; non pauci præter vulneratos mortem oppetiêre.

Die 23. Augusti ex omnibus simul munimentis suis hostis terna propugnacula nostra angularia & turrim arenariam vehementi & continuâ globorum 25. & 50 libras pendentium explosione quassavit, adeò, ut contignatio turris superior decideret, dictaq; propugnacula non leviter concuterentur; loricæ quoq;, licet 20. ampliùs pedes Geometricos latæ essent, pertinaci globorũ vi perterebratæ, securitatẽ excubantibus præstare vix possent. Equidem globi majores mille ampliùs hâc die (quamvis non minorẽ ferè numerum alii dies sibi vendicent) in urbem immissi sunt, à quibus templa, turres ac ædificia nostra fœdè deformata fuerunt. Quare considerantes periculi indies crescentis magnitudinem, eodem die iteratò piscatores eos, qui ultra fanum D. Barbaræ, decimo ab hinc milliari, apud Ill^mam Cels V^m in castris aliquantò diutiùs detenti, tandem sine responso literario per tot viarum discrimina reversi erant, sub conticiniumnoctis hinc Cym-

1. Septemb. 22. Augusti

bâ qua-

bâ quâdam summo cum vitæ discrimine ad Illm Cdm Vm expedivimus, ab eâdemq; ut succenturiatam tandem nobis opem ferret, instantissimè rogavimus, præsertim cùm ad varias literas & tabellarios nostros nihildum hucusq; nobis responsum esset.

Hostis verò de die in diem nostras munitiones quassare non desiit; unde magna turris arenariæ portio (24. Augusti) deturbata, ac turris Curiæ sæpiùs trajecta est. Et noctu quidem etiam navigiis in Semilunium seu Semicirculum pomœrii stabularii & aggeres Dunæ tentata est impressio, sed hostis inde suo imò & nostro detrimento viriliter repulsus abiit. A molâ deinceps arenariâ, (25. Augusti) fossæ ad ipsam usq; Civitatis fossam productæ, & bina munimenta extructa sunt, alterum in superficie domus cerdonis non procul à pomœrio portæ arenariæ, alterum ad portam D. Jacobi penes hortum Happachii; simulq; mortaria ignivoma in iisdem posita ac plantata, latera quoq; propugnaculorum Civitatis totum diem valdè conquassata, insigniterq; corrupta sunt.

Neq; verò etiam nostra siluerunt propugnacula, de quibus missa tormentorum tonitrua sævissimè in hostes grassata sunt, ac obvia quæq; nunc crates vimineas, nunc tormenta, tormentorumq; Magistros, nunc Officialium magnam partem rapuêre, præter eos, qui de grege militum cecidére, uti à transfugis postridie nobis relatum est. Nec mirum quod & hîc & illîc continuâ & perpetuâ illâ jaculatione tormenta nonnulla disrupta sint.

Hâc

Hâc nocte hostis denuò latus urbis quod Duna alluit navigiis adoriri conatus, sed retrocedere coactus est. Durante verò totam noctem mutuò jaculantium certamine, dum streperent creperentq; utrinq; bombardæ, ecce piscatores illi summo in periculo versati redeunt, & literas responsorias Illmæ Cnis Væ die 2. Septemb./23. Augusti in castris anonymis exaratas, interjectæ hactenus moræ indices nobis exhibent. Quibus perlectis, quod nonnihil temporis quidem collectioni majoris exercitus, qui erecto ultra Dunam propugnaculo perrumpendo sufficeret, datum esse; nunc verò Illm Cels. Vm copiis auctiorem tandem rectà ad nos tendere, atq; ad expediendam salutem Civitatis etiam cum capitis sui periculo, brevi se hosti ac Civitati conspiciendam præbere velle, significarent, idq; ipsum etiam nobis Dni Benedicti à Wahlen equitum Præfecti schedula solatii plena confirmaret, ingenti lætitiâ tota nobiscum Civitas perfusa est, præsertim cum nocte dieq; insequenti globis utrinq; inter se certantibus, classicum in urbe caneretur, & concursus undequaq; fieret.

Sed non solidum nimis hoc gaudium fuit. Hostis enim eâdem vehementiâ (27. & 28. Augusti) propugnaculis Civitatis tàm angularibus quàm lateralibus extremè conquassatis in Semilunium arenarium sævire perrexit, plurimosq; nostratium è medio sustulit, candentesq; globos jacere in urbem cœpit. Insuper omnes viarum exi-

tus &

tus & diverticula, quæ solus Dunæ fluvius reliqua adhuc fecerat, munimentis ac navigiis hinc inde dispalatis arctissimè clausit, adeò ut ne sagacissimis quidē tabellariis nostris, licèt eâdem quâ anteà astutiâ transitum sæpissimè molientibus tranare liceret. Sanè tantus furor hostis atq; indefessum in oppugnandâ urbe nostrâ studium fuit, ut una hora 90. & 100. ampliùs globos 25. 50. etiam 64. pondo in nostra propugnacula explosos numerârit, à quorum reparatione, quæ magno labore, sumtu ac periculo constabat, nulla nox immunis mansit. Hâc quoq; die porta arenosa exterior, atq; interioris fastigia convulsa ruebant: conatusq; est hostis (29. Augusti) nocte clandestinâ virgultis fossam Civitatis sub Semilunio arenario adimplere, sed cum plurimi hinc inde caderent cessare ab opere incepto coactus est. Quid multis? periére quidem non pauci militares ac strenui viri, qui chorum ducere contra nos & viros præ cæteris se ostendere voluerunt, machinis æneis ac sclopetis longioribus nostratium icti; ac tùm quoq; cùm terrestri & aquatico apparatu in Semilunium propugnaculi, quod ad portam stabuli est, nocte quæ diem 35. Augusti antecedebat, tentaretur irruptio, plurimi, fugatis cœteris, mortem aut vulnera in prædam reportârunt: Sed tamen nostrates quoq; eadem fortuna belli excepit; nunc hîc nunc ibi cecidit alius, aut saucius ingemuit, sive civis ipse, sive in civium numero militaret; nunc optimus quisq; ex iis, qui machinis bellicis præ-

sunt,

sunt, discerptus, nūc stipendiariorum pars magna jactis in Semilunium pyrobolis (quos Granadas vocant) vulnerata, ambusta, miserèq; peremta jacuit. Cum itaq; robur militare tali indies ratione decresceret, atq; infirmitudine non minùs ex continuis vigiliis, molestiis, ac laboribus contractâ, eorum qui arma capesserent contra hostem numerus minueretur, convocari in domum collegiatam mercatorum cives ac quicunq; ætate militari essent, jussimus, eosq; ut in eodem virtutis ac fortitudinis cursu perdurarent, admonitos, Illmæ Cnis Væ adventu & spe propediem adventuri auxilii solati sumus, propositis honoris ac utilitatis præmiis iis, quicunq; in primâ statione contra hostem pugnaturi ac caput periculis objecturi essent.

Hæc cum auribus animisq; accepissent, & ad arma hilari vultu plenisq; spei animis vix digressi essent, ecce repentinus totam urbem pervasit rumor, adesse quasi DEum ex machinâ Illm Cm Vm & se cum vexillis suis ultra Dunam conspiciendam præbere. Tùm verò superfundenti sese læticiæ vix temperatum est, certamen in gaudio fuit; juvenes, pueri, senes, fœminæ, mares, voce manibusq; significare publicam lætitiam; non audire eos, qui volitantia signa vidére; multum sibi deesse ad gaudii summam rati, nisi etiam oculos quisq; suos lachrymis, quas perpetuus angor pueris fœminisq; expresserat, madentes, hilari hoc spetaculo pastum refectumq; irent;

Ivére

Ivére omnes, quicunq; ire vel reptare poterant, alii ad Dunæ aggeres se proripere, nil veriti glandes hominum equorumq; voraces; alii in valla globis undequaq; volantibus obvia; alii turrium cacumina antehàc nunquam à se trita, aut nunquam terenda fortè deinceps, spectatum jucundum pugnæ præludium scandere, nec machinas in se directas timere. Triremibus confestim è concamerato supra influentem pomœrio, ubi in hunc casum paratæ servabantur, in altum eductis, Christophorus Bürcken de Boïtzenburg Capitaneus noster, per medios hostes ad ripam, quâ Illma Cdo Va perruptura credebatur, viam sibi quærere conatus est; reliqua navigia ac cymbæ, quid ultrà mandaretur, & quònam sequi deberent, expectare jussæ. Sed cives nostri nondum perceptâ Illmæ Cnis Væ intentione & consilio, cæco quasi impetu ducti; Ad quid, inquiunt, moras inanes nectimus? quin conjecti in cymbas munimenta (erant illa in insulâ Ebbenii, Saggeri, & in prædio Rigemannianæ contra vim munitissima) adorti, viam Illmæ Cni Suæ certò ad nos perrupturæ sternimus? Et, ingredere naves, trajice Dunam, frustrà prohibente Senatu, inter se quoq; gratificantes Illmæ Cni Væ clamare, laudare signa, laudare equites hastatos, diem ipsum laudibus ferre, quô Illm Cels. Vm Liberatorem suum adesse cernerent, miseriæ suæ & tàm arctæ obsidioni finem facturum, dignum cui vitam fortunasq; suas unicè acceptas ferrent.

Erant

Erant tamen qui rem altiùs perpendentes modum lætitiæ suæ imperabant, solliciti, ultrà quid futurum esset; inprimis cùm nondum collatis cum Illmâ Cels. Vâ sententiis res cœpta esset, & à celeritate, in quâ maximè negocii feliciter expediendi cardo versabatur, fortuna non staret. Etenim licet Illm Cels. Vm cum copiis suis ad montem usq; explicato ordine progressam, in ipsum deindè propugnaculum globis de monte jactis pulsatum imperterrito animo per media discrimina impetum facere, cum hostibus extrà se proripientibus pugnam velitarem variâ victoriâ & ancipiti Marte inire, castra quoq; (quanquam in loco non satis tuto) totâ nocte posita videremus; attamen cùm subitò hostiles undiquè copiæ equestres, pedestres, ad propugnaculum confluerent, facilè ex ipsius loci situ conjecimus, diu Illm Cels. Vm, nî claudi averet, ibidem morari non posse, atq; subitò in ventos abiturum gaudium tàm subitò exortum. Nihilominùs gratulabundi de felici adventu Illmæ Cnis Væ nuncium nostrum cum literis, nocte silenti, quid animi Illma Cdo Va haberet, quidq; à nobis fieri vellet, exploratum misimus. Sed spe desiderati responsi frustrati sumus. Etenim Illma Cdo Va comperta, majorem esse hostis in munitissimo illo loco potentiam, quàm quæ viribus Illmæ Cnis Væ frangi aut superari posset; castris se tenere, non satis securum videri; nec viam esse, quà annona subveheretur clausis; aut, imminutâ hostium manu, mutua auxilia ac copiæ utriusq; nostrûm

conjun-

conjungerentur; (quamvis præfatus Capitaneus noster postero etiam die fortiter triremibus in hostem irruere, ripam, quæ ab illâ parte Dunæ est, aucupari, atq; viam Illmæ Cni Væ, non sine cæde ac sangvine nostratium, ad nos perrumpendi aperire summo studio annitereretur) capto in arenâ consilio, alterâ statim ab adventu suo die (nempe 31. Augusti) mediâ, castra sua in quibus Illmæ Cni Væ discumbenti globi tormentarii non leve creârunt periculum, incensa à se deserenda censuit, eoq; ipso nos inter spem & metum anxios magis reliquit, qui id in votis unicè habuimus, ut vel per hunc ipsum nuncium ratio consilii istius & causa duntaxat abitus nobis aperta fuisset; is verò Skaddiam usq; 3½ milliaria Illm Cdm Vm sequi coactus, inde demum cum dubio responso ad nos remissus est.

Super repentinâ hâc rerum vicissitudine læta totius Civitatis facies mutata, vultus hilarabundi tantùm non in lachrymas versi, ac tristi silentio defixi plurium animi, hoste inprimis clamore ac fragore bombardarum triumphos super abitu Illmæ Cnis Væ ac jubila passim sonante, ac Theonino morsu ex aggeribus suis ac fossis prope urbem sitis, fugam (ita discessum Illmæ Cnis Væ nominabat) nostratibus excubias agentibus exprobrante, atq; eo ipso indubitatam sibi jàm animosiori spem potiundæ urbis factam gloriante; nostratibus verò sub tantâ gravissimæ obsidionis mole tandem se succubituros subverentibus. Quanquam nos rationes, quibus mota Illma Cdo Vra abiit, altiùs perpendentes,

pendentes, in communi hâc tristitiâ dolori nostro modum statuimus; quod, cùm è speculis turribusq; nostris hostiles copias pedestres ac equestres sursum deorsumq; Dunam immenso agmine conglomerari prospiceremus, quæ facili negocio Illmæ Cdni Væ obsessis undiq; viis cinctæ, necessitatem pugnandi in loco importuno impositura essent, Illma Cdo Va opportuno tempore abitum molita, se suosq; servârit; spe freti non dubiâ, Illm Cels. Vm brevi majori cùm fructu auctis viribus ad officiumredituram. Hæc dum fiunt, hostis obsidioni majori virium conatu incumbendum sibi ratus (1. Septemb.) vigilantiam nostratium & alacritatem ab omni parte tantoperè exercuit, ut armis perpetuò accinctis nulla quiete ac securitate penè perfrui liceret. Jamq; promotis noctu propiùs Semilunium, quod propugnaculo arenario adhæret, & ad ipsos semilunii pedes vineis ac gerris suis, novæ cædi nostratium, qui conatui huic obstiterant, causam dedit: eâdemq; operâ, munimento quodam propè cataractas pomœrii exterioris adstructo, ad cuniculos nostros in fraudem suam paratos penetrare conatus est; cui cum nostrates cataphractariis lanceatis stipati strenuè obviam irent, catapultis ignivomis (quas Granadas vocant) in Semilunium projectis magnam stragem edidit: Similiter cùm machinis majoribus utrinq; hisce binis diebus validè certaretur, & hîc & illîc magna cædes edita est; hostium verò etiam quàm plurimi bombardis ac sclopetis nostratium sigillatim percussi nullâ non die ceciderunt.

Continuis hisce fulminationibus diei addita nox, noctiq; dies altera, quâ templa turresq; quaterna templorum ac Prætorii quoq; insigniter lancinatæ, ac in æde D. Joannis à lychnucho pensili deturbato plurimi terrore plagisq; perculsi sunt; ab ignitis globis ferreis fornices D. Petri, ædiumq; tecta passim incendium hausêre, quod tamen operâ ac industriâ eorum, quibus restinguendi ignis provincia in quaternis urbis partibus demandata erat, per DEi gratiam mox restinctum est; glandes verò plumbeæ sclopetorum, quemadmodum durante obsidione, ita nunc inprimis densissimè, in areis domuum, in templis, inter suggesta ac populum, dum sacra fierent, volare ac decidere visæ sunt, quibus tecta ædium ac templorum valdè sunt conquassata.

Atq; his ita peractis, denuò per tubicinem hâc ipsâ 2. Septemb. die cum literis ad nos missum, hostis dedi sibi urbem, posteaquam subsidiaria Polonorum manus jàm fugisset, postulavit. Deductus ille est, re cum Dño Castellano Gotthardo Joanne à Tisensausen aliisq; Nobilibus, nec non cum Dño Vice-Capitaneo ac Revisore Arcis Rigensis & Regiis equitum Præfectis deliberatâ, in urbem, literæ acceptatæ, & in consilio consveto recitatæ sunt, communicatoq; cum præfatis Dñis consilio, de responso dando consultatio suscepta est. Sed cum προβόλευμα *illud, an tubicen iste salvo conductu donandus, & cum literis in urbem recipiendus esset, disparitate votorum ac sententiarum justò diutiùs protraheretur, hostem in propugnaculum angulare arenarium & Semilunium ejusdem violentam impreßionem facere nunciatur: Inde claßicum canitur, ad vallorum defensionem summâ contentione festinatur. E Mansfeldianâ cohorte audaciores quosq;, cum quibus incursionem molientibus nostrates strenuè dimicabant, Mars jure suo pignoratus est, alii cuniculis in eum casum præparatis in aërem disjecti vitam finiêre. Proximè insequentibus diebus ($3^{\text{tiâ}}$ $4^{\text{tâq;}}$ Septemb.) similiter varias hinc inde turbas interdiu noctuq; utrobiq;, tàm ex castris quàm navibus hostis dedit; eiq; beneficio fossarum occultarum publicam Civitatis fossam aquariam sub Semilunio virgultis adimplere frustrâ impedito, facilè fuit, gerras suas loricæ aut prætenturæ Semilunii supersternere, cùm huic conatui, infra tormentorum lineam, non nisi violentâ excursione, quam nec locus ille nec vires nostræ admittebant, obviam iri posset: Attamen præmiis ac brabejis propositis, stipendiariorum fortißimum quemq; induximus, qui gerras istas harpagonibus disturbatas incendio absumerent, hostemq; munimento expellerent. Tentata, quæ consuluimus, fortiter, peracta feliciter: gerræ aliæ disturbatæ, aliæ incensæ, nequicquam hoste hoc facinus impediente, sed tamen Granatis ac missilibus ignivomis in Semilunium jactis, plurimi etiam nostratium peremti ac vulnerati sunt. At verò quia hostis eo in nido pedem firmißimè fixerat, facili negocio denuò ibidem evasit superior & fortior.*

Cum itaq; propugnacula angularia ac munitiones laterales ad D. Jacobi & Arenariam, Novamq; portas indesinenti tormentorum fulminatione magis magisq; destruerentur ac corruerent, nos vice versâ dies noctesq; fabros lignarios, murarios, operarios, cives ipsos, eorumq; servitores operi accinximus, ac per eosdem nil cæde trium, quatuor, quinq; ac plurium singulis noctibus pereuntium deterritos, loca ruinam passa summo studio, assiduo labore ac sumtu restaurari fecimus. Productis præterea aggeribus suis ad fossas usq; Civitatis propè Jacobinum propugnaculum, erectisq; duobus munimentis, hostis, ejusdem propugnaculi pinnas validè quassatas dejecit, inferiores loricas ad basin valli exstructas glebis gerrisq; deturbatis adimplevit, locumq; ad repellendam hostilem irruptionem planè ineptum reddidit. Mox pontem supernè ac utrinq; linteamine tectum ac vestitum horâ octavâ matutinâ, summâ celeritate ac vehementiâ fossæ aquariæ Civitatis superinjici jussit, operâ ac studio Joannis Jacobi fabrorum lignariorum Magistri & N. Hörnikii excubiarum in cohorte Mansfeldianâ Præfecti, quos promissione egregiæ remunerationis delinitos ad tentandum hoc facinus Regia M^tas^ induxerat: Pons verò ille, noctis tenebrosæ beneficio, per eos qui fossam aquariam tranârant, fune crassiori ad palos loricæ inferioris alligatus, cum multò quàm par erat longior esset, in curvaturam retortus est; Et nihilominùs Hornikio super eodem ponte cum

te cum

te cum militibus suis præeunte, reliqua manus auctore ac Duce Jacobo Sittonio inprimis, aliisq; Capitaneis, strictis gladiis ad irrumpendum compulsa, loricam inferiorem conscendére; Alia quoq; Sittoniana chilias sive Regimen ut dicitur, in propugnaculum Semilunare portæ arenariæ similem irruptionem facturum, utriusq; propugnaculi extremitates occupare satagebant. Quæ conamina quò feliciùs cederent, tormenta in nostrates strenuè reluctantes, & sclopetis alternas vices reddentes directa ac explosa sunt: Ast favente nobis fortunâ, pons ille ita redintegrari non potuit, ut ordini statario militum transcurrentium ferẽdo par esset, quin insuper de propugnaculo angulari arenario noctu iterum reparato, ictu grandioris machinæ rumpitur, mergiq; cœpit. Unde militum alii, rupturâ pontis disjuncti premere vestigia eorum, qui loricam jàm tenebant, non poterant, verùm & hi & illi præsens periculum evitaturi, gradum referre, atq; ad munimentorum asylum confugere sunt coacti. Magna hîc cædes utrinq; facta est; Capitaneo Sittoni crus vulnerato mutila pars deinceps recidenda fuit; vexilla bina nova, alterum aquilâ candidâ Regni, alterum equo sylvestri Magni Ducatus Lithvaniæ insignibus decorata, tùm primâ vice hosti ostentata super propugnaculo D. Jacobi angulari, binis signiferis nostris è manibus tormentorum vi excussa, quorum alter, simulq; cum ipso non pauci civium juvenumq; ac eorum, qui tormentis præsunt

sunt

sunt & operantur nec non militum ac operariorum ex acceptis ante hostem vulneribus paulò pòst periére; unus de quatuor Senatoribus, quorum singuli singulis civium classibus præsunt, graviter vulneratus periculum vitæ adiit.

Sedato hoc tumultu, Tubicinem, qui à 2. Septemb. hucusq; detentus erat, literali responso instructum (5. Septemb.) dimisimus, cum eâ declaratione, constantissimè nos penes Regem ac Rempub. Polonam perseveraturos, etiamsi extrema nobis fortuna subeunda foret. Tùm verò sollicitudo hæc animos nostros occupavit, nullum non moturum lapidem hostem, quò pontem, quem diximus, cum aggere sive loricâ combinatum ad impetum redintegraret; proinde maturato consilio, circulis non tantum piceis de propugnaculo jaciendis, sed aliis etiam artificiosis ignibus cymbâ reconditis, eundem incendio absumendum, atq; ex compactâ in fossâ urbis trabibus rate, quæ undiq; circumtecta tormenta vehebat & magistros, globis catenatis disrumpendum censuimus. Non cessit hâc nocte consilium incendii, variis ac numerosis excubitoribus tùm justo ordine inter se dispositis insidias avertentibus; interim tamen subimpletam glebis gerrisq; loricam inferiorem, procuratione Dñi Sub-Camerarii aliorumq; ex civium numero ad id deputatorum, per fossores mercenarios, non sine periculo (tormenta enim jàm anteà in hanc lineam directa, statim ac ex motu indicium laboris sumtum est, non parum damni dedêre) repurgamus, nec non munitiones

superiores ac laterales valdè labefactatas, ad hostem facilius repellendum, reficimus; & nihilominus de rate compactili, dum hæc fiunt, in munimentum hostis & pontem machinas præfatas, quantum possumus, exoneramus. Sed hostis similiter eâdem nocte, biremibus in Dunâ flumine magnâ copiâ adventantibus, aliud machinari visus est, ad cujus insultum excipiendum omnia tàm in urbe quam in arce parata esse oportuit. Nocte verò quæ sextam Septembris diem præcedebat, operâ juvenis cujusdam mercatoris ignis ille artificialis pontem corripuit, & quà aquam pertingebat totum combussit, cujus restinguendi studio licet flagraret hostis, continuis tamen jaculationibus nostratium àversus est.

Cum itaq; videret, destructo ponte tùm in eo loco sibi rei agendæ occasionem ademtam esse, in agendis cuniculis ad propugnaculum arenarium majori quàm anteà studio perrexit. Nos verò plures cunicularios ex stipendiariorum numero conduximus, qui ministerio operariòrum suffulti ad cuniculos hostis in Semilunio cuniculos contrariòs agerent, & ab interiòri quoq; propugnaculi parte caput sivè fontem cuniculorum in omnem eventum derivarent. Porrò & alia opera instans periculum perficere nos jussit: Ex consilio peritiorum rei bellicæ, crudelem militum nostrorum & perpetuam lanienam Semilunium, intersectum, novo aggere fossâq;, quæ vallo utrinq; jungebatur, præmuniri, portas quæ Dunam respici-

unt infirmiores, operâ civium obstipari, nec non compagem trabium densissimam tergo portæ arenariæ, cujus claustra propemodum revulsa erant, agglutinari, terrâq; suppleri; similiter & loricas recentes vallorum, ligneas munitiones, pavimenta fenestrasq; machinales reparari, atq; alia necessaria opera assiduis hominum equorumq; laboribus diurnis ac nocturnis fieri jussimus. Verumenimverò hostis, tàm cunicularioru m (quorum numerus in tot partes dividi poterat, ut ternæ horæ in orbem operi attribuerentur) quàm ærarii Svecici viribus, majoribus quàm quibus exhaustæ nostræ Civitatis reliquiæ responderent, subnixus, nostrates assiduo labore subterraneo penè confectos superavit. Ac licet variâ fortunâ æquo tamen Marte in ipsis cuniculis pugnaretur, ita ut, quò visus auditusq; raperet, alter in alterum cominùs hastis gladiisq; sævirent, nostrates insuper jaculis ignivomis seu Granadis in hostiles cuniculos projectis irrumpentibus strenuè obsisterent; tandem tamen res Svecica fuit superior, nostrosq; ad latus declinare coëgit: Qui tamen sequenti nocte animosè in cuniculo isto adversus hostem tuendo se gesserunt, ut jactis in hostem missilibus nuper inventis eum loco depulerint. Postridie hostis celeritate suâ & numero nostros fossores circa meridiem antevertit, ac magnâ vi ad nostros cuniculos ac simùl ad inferiores munitiones portæ proximas penetrare laboravit; atq; Semilunio jam ferè potitus erat; denuò tamen à nostris

stris

stris cum damno suo repulsus fuit: de laterali quoq; propugnaculo ad portam Jacobi ita excepti fuerunt oppugnantes, ut non pauci, sicut ex loco sanguine consperso apparuit, interierint.

Sed nec hostis sibi defuit, quin ex ingentibus tormentis, quæ mortaria vocantur, saxa stupendæ magnitudinis in Civitatem misit, ac simùl reliquis grandioribus tormentis globos ignitos ejaculando vicem suam ultus est: Ubi iterum nonnulli civium nostrorum in vallo consistentium nec non aliquot equites in arce perierunt, qui partim extincti, partim semiamines in domus suas deportati, magno cum uxorum & liberorum ejulatu excepti fuerunt. Quin singulis diebus tàm cives quàm juvenes, milites, tormentorum magistri & operarii ab hoste interempti, nec parvo numero sepulturæ mandati sunt: plurimi præterea vulneribus affecti, ac diuturnis laboribus, durante obsidione, debilitati in gravissimos morbos inciderunt, atq; hoc modo propugnantium numerus valdè fuit imminutus.

Postridie, qui erat Dominicus & nonus dies mensis Septembris, hostis majoribus tormentis & saxorum ejaculationibus, in quibus aliquot, centum & sexaginta librarum pondus æquârunt, Civitatem petere strenuè perrexit, idq; sub ipsum sacrorum tempus, quo euntes ac redeuntes è templo periculis obnoxii fuerunt; lapides enim & igniti globi passim in plateas & forum decidebant: interim cu

rim cu

rum cunicularius hostilibus sub artificioso tecto, ad Civitatis fundamenta penetrare satagentibus, præsente militiæ nostræ præfecto, sarissis & gladiis utrinq; pugnatum fuit; eoq; in conflictu non pauci occubuerunt.

Porrò sub tempus vespertinum summâ vi nostros cuniculos invasit, & mox Petardam, ut nominant, ibidem occultatam succendit, opus nostrum violenter disjecit, in quo prædictus Dnus Præfectus, dum intentiùs operi incumbit, summum vitæ aut captivitatis discrimen adiit: hujus invasionis successum & eventum ipse Rex cum Principe fratre ac supremo belli Duce (ut posteà compertum fuit) è loco propinquo speculati sunt; atq; in hoc demum conflictu miles Civitatis è textorum sodalitio ab hoste capitur, qui statum Civitatis detegere ac revelare coactus est; quo audito, hostis ad cogitata & consilia sua exequenda, imprimis verò ad hemicyclum seu Semilunium occupandum animatus fuit; nec mora, integrum militum regimen ad invadendum locum mittit; duo Capitanei Joannes Bannier & Laschapell Gallus, quibus se postea Most Scotus de Mansfeldicis copiis junxit, principium invasionis fecerunt, & propugnaculo nostro jàm antè ad radicem semiduruto, nec non inferiori munitioni pertinaci assultu imminere cœperunt, ac quominùs in suo proposito tardarentur, liberumq; aditum ad propugnaculum Jacobeum sibi patefacerent, Petardam ad portam inferioris munitionis affixam inflammârunt, fumoq; tecti, magnâ vi nostros adorti sunt, ac in supremam loricam nonnulli strictis gladiis evaserunt. Mansfeldicas copias Gustavus Horn cum suo regimine subsequutus est, & nostros graviter exercuit.

Non cessatum quoq; est à nostrâ parte modis omnibus efficere, ut consilia hostilia frangerentur: itaq; ex duobus tàm novæ portæ quam Jacobi propugnaculis & occultis lateralium munitionum fenestris noctu præparatis, grandiora tormenta in subeuntes frequenter displosa, tum è superioribus locis ad portam arenosam, saxa, trabes, pices circuli, artificiosi ignes & machinulæ, Granaten dictæ, devolutæ & projectæ sunt; milites quoq; inferiùs collocati viriliter assilientem hostem tàm Germanum quàm Svecum aliquoties repulerunt, quo in certamine filius Laschapelli Vexillifer promtissimæ audaciæ, paternâ voce animatus, cum aliis Officialibus & militibus, ac cum ipso Petardæ magistro (ut ex loco superiori vidimus, ac captivi posteà retulerunt) occubuerunt. Tandem hostis multitudine superans & prævalens inferiori munimento & basi propugnaculi arenarii per vim potitus est; ac dùm nostrates in superiori parte & alibi in profligãdis irruentibus occuparentur, cespitem fodere, ac introrsùs latibula parare festinavit, omnesq; nostrorum ex cavernis ejicere eos molientium conatus & labores elusit. Atq; in hâc pugnâ ultra centum cives, milites, artifices miserè perierunt.

Nihilominùs nocte sequenti super istis propugnaculis novæ munitiones subitaneo opere excitatæ atq; utrinq; defensionis remedia adhibita sunt, aggeres fossæq; ductæ,

quibus

quibus pars læsa & occupata à reliquo corpore recideretur, hostiq; usui non esset: consultatum quoq; fuit, an ullâ ratione hostis ex suis latibulis expelli ac vallum liberari possit, dictisq; variis sententiis, ut cujusq; ingenium ac experientia tulit, tandem placuit postridie summo manè eruptionem improvisam esse tentandam, fortè cunicularios exturbari aut in suis cubilibus cædi posse: quam ad rem perficiendam reliqui civium, militum, juvenum, mirificam alacritatem præ se tulerunt. Igitur sub diluculum diei decimi Septembris parati omnes aderant, destinata executuri; pars per arenosam, pars per Jacobeam portam exiverant, ac vigiles hostiles jàm ceciderant. Cæterùm rem altiùs perpendentes prudentiores & diu in militiâ versati consilium esse summo cum periculo conjunctum viderunt: tàm valido enim exercitui reliquas Civitatis & exiguas per se vires simul objicere temeritatis summæ esse judicârunt, itaq; in ipso executionis actu revocati sunt. Sequenti die, habito cum peritioribus consilio, è re visum fuit, principalem cuniculum perficere, vallumq;, quantùm vires sinerent, summâ celeritate scindere, ac nova opera ex trabium contignationibus in locis commodis festinanter extruere, undè hosti irrumpenti vi summâ resisteretur. Quamvis autem à nonnullis latior quædam divisio sive separatio valli interioris ad mœnia usq; Civitatis ostenderetur, ubi novo propugnaculo opus esset, quod altissimis fossis præmuniretur, unde tutò tormenta

tormenta

menta majora in subiturum hostem exonerare liceret: tamen à nostris Capitaneis & rei bellicæ peritis perspectum fuit, rem esse majoris laboris, quam quæ intra aliquot septimanarum spacium perfici posset: hostem interim, qui nocturno tempore jam propugnacolo potitus erat, continuato labore subter propugnaculum dilatandis cuniculis acriter inhærere, omniaq; ad assultum validissimum diligentissimè præparare; nec obstiturum ei novum propugnaculum, cum ex alterâ parte liberũ transitum ad reliqua munimenta, valli longitudinem sequendo, habiturus sit.

His ultrò citroq; disputatis & pensitatis, temporis ac virium nostrarum ratio habenda fuit: constabat enim cives ac milites aliquot septimanas obsidionis incommoda, vigilias, labores diurnos ac nocturnos pertulisse ac defatigatos esse: hinc impossibile fore tantum opus perficere ac simùl hostem ex loci occupati possessione depellere, prout ipsi quoq; primi consilii autores fatebantur: itaq; quod in manu fuit, cuniculum principaliorem jàm cœptum, ut vires nostræ sinebant, continuare ac loca ruinosa in circuitu valli versus inferiorem loricam & Jacobinum propugnaculum trabibus, materiâ terrâq; restaurare perreximus: Sed neq; hostis intereà in perducendis cuniculis cessavit, continuisq; tormentorum fulminationibus, ut jam anteà, ita nunc maximè à primo diluculo in multam noctem Civitatem undiq; infestavit; ac observatum fuit sæpè intra vertentis horæ spacium, centum ampliùs globos

in Ci-

in Civitatem missos fuisse, quibus brevi temporis intervallo omnes nocturnos labores & opera nostra diruit & corrupit. Quæ res magno detrimento nobis fuit; vix enim tutus conspiciendi locus in vallo relinquebatur, unde non pauci militum, civium, ac eorum qui tormentis onerandis ac displodendis occupātur singulis diebus periére; Imo tanta fulminationis cis ac ultra Dunam fuit vehementia & globorum crebritas, ut in plateâ arenosâ, tùm ad Dunam non pauci oppressi; in ipsis quoq; ædibus, areis & conclavibus nonnulli vulnerati ac cæsi sint: ac nisi posterus dies, qui erat undecimus Septembris continuâ pluviâ occupatus hostile consilium retardâsset, procul dubio cuniculi præparati sub propugnaculo arenario incensi, & simul irruptio in Civitatem à copioso milite in insidiis jàm collocato & armato vi summâ fuisset tentata.

Die 12. Septembris hostis à summo manè usq; ad horas vespertinas horribili boatu grandiores lapides, globos ignitos & pyrobolos in urbem eructavit, summoq; cum impetu in Civitatem diversos per locos, quos dispositis Capitaneis scripto designaverat, irrumpere decreverat. Verùm Serenmus Princeps Carolus Philippus frater Regis, nec non Illris Comes Jacobus de La-Gardie, supremus Dux belli, Illris quoq; Comes Mansfeldicus & Dn. Falkenberg aulæ Principis Magister, aliiq; Officiales optimo animo intercesserunt, & apud S. R. M. per dictum fratrem, uti posteà nobis relatum est, preces obnixas interposuerunt, ut postremas ad Civitatem literas priùs mitteret, quàm ultima tentaret; in quo se exorari passus est: Itaq; à tantâ tempestate tertiò tubicinem ablegavit, qui ex consilio omnium Civitatis Ordinum, nec non Dñi Castellani & Nobilium, Vice Capitanei arcis, Revisoris, & equitum Præfectorum intra Civitatem acceptus literas attulit, quas recitari publicè fecimus; atq; in iis sextam ab earundem insinuatione horam pro termino dedendæ Urbis peremtorio sub comminatione extremi exitii præfixam esse percepimus: Mox magnâ cum animorum consternatione ac gemitu de extremâ Civitatis fortunâ cum præmemorato Nobilitatis cætu consultatum fuit: nemo enim periculi magnitudinem, quod ex colloquio cum hoste ceu primò deditionis gradu consequi solet, non perspexit, omnemq; occasionem devitare ac declinare ex animo non optavit: Vicissim ob oculos omnium versabatur præsentissimum periculum; Primò namq; hostis tribus in locis subter munimēta Civitatis versus mœnia & portā Aren. ad multos passus jàm penetraverat, & secundū valli longitudinem cuniculos in modum trianguli formatos, pulvere pyrio oppletos instructosq; habuit: hoc enim & plura alia captivi ac transfugæ nobis retulerunt; quin nos ipsi certis ex indiciis & argumentis, imprimis ex egestæ terræ tumulis, quos è vallo cernebamùs, tùm quoq; post expugnatam urbem plus opinione deprehendimus. 2. Novum item pontem loco prioris à nobis corrupti & ablati,

K

lati, versus Jacobeum propugnaculum præparatum in vallo consistentibus ostendit. 3. Continuâ fulminatione, tantoq; impetu portam arenosam omnesq; munitiones præsertim ultimam scissuram, in quâ milites nostri excubabant, verberavit ac ignitis jaculis milites infestavit, ut singulis horis aliquot è medio sustulerit, nullusq; modus resistendi nobis superesset, sed propugnatores intra fossæ recenter ductæ latebras sese occultare coacti fuerint. 4. Alia item scissura inferioris munitionis versus Jacobinum propugnaculum adeò tormentis majoribus & minoribus impetita fuit, ut in ipsis valli cavernis milites vix tutò latere, nedùm arma movere potuerint; Ideoq; quod certissimis ictibus densitatem novi operis penetrantibus subindè interficerentur, magnis clamoribus & precibus nos obtestati sunt, aliam rationem pugnandi iniremus, ac sese potiùs in acie contra hostem constitueremus, ubi pugnando honestiùs caderent, neq; ita inglorii intra munimentorum claustra adeò fœdè instar captivorum mactarentur. 5. Porta arenosa planè ab hoste dejecta & nudata fuit, ut transitus juxta valli longitudinem versus Novam portam quasi patefactus videretur, cum refici eadem, uti necessitas exigebat, & muniri contra vim majorem minimè posset. 6. Aquam ex fossâ Civitatis derivando, hostis ad hemicyclum jàm occupatum pontem straverat, sic præparatum, ut quinis conjunctis simùl facilem transitum præberet. 7. In Dunâ flumine omnis

omnis generis navigia, rates, trabiumq; compagines benè munitas & ferreis catenis consolidatas ac pontones ad oppugnationem necessarios in promtu habuit. 8. Exercitum ex tredecim Regiminibus conflatum, quorum singula mille ducentos vel trecentos, alia plures pedites benè exercitatos armatosq; continebant, nec non 24. vexilla equitũ quatuor propemodùm millium adduxerat. 9. Magna copia tormentorum muralium, majorum & minorum, omniq; apparatu necessario optimè instructus fuit, ut vix in potentissimarum urbium obsidionibus similis conspecta fuerit copia, adeò ut à curiosis quibusdam observatum sit, unius diei spacio nonnunquam duodecim, tredecim, imò quindecim millia librarum pulveris tormentorum displosione consumpta esse, excepto quod sclopetarii in suis fossis latentes dies noctesq; imbrem globorum in Civitatem miserunt, & plateas publicas passim infestârunt. 10. Ipse Rex cum Principe fratre in castris summâ diligentiâ & curâ, postpositis omnibus periculis, cuncta administrârunt, secundum illud; Vrget præsentia Turni. 11. Insuper peritos & spectatæ virtutis belli Duces, Capitaneos & Officiales tàm indigenas quàm extraneos, rei armamentariæ & architectonicæ militaris peritiâ insignes, aliosq; ingeniosos pyrobolorum artifices secum habuit; instrumentis quoq; & aliis utensilibus castrensibus, tùm aliquot fossorum millibus abundè instructus fuit; nec tantum damni ex unius vel alterius tormenti,

menti, quantum nos ex sclopeti rupturâ, sensit. 12. Quamvis navigium cum machinis ignevomis vi tempestatis in portum Vindavien. conjectum fuerat: tamen durante Civitatis obsidione, Rex, ut ex captivis didicimus, novos pyrobolos & incendiarias catapultas aliquot centenas, quorum illi 160. libras, hæ 400. penderunt, in hospitali Georgiano præparari curaverat, quibus sub irruptionem universalem civium domus funditùs everterentur, ac Civitas universa conflagraret. 13. Nobis contrà omnis propugnandi & defendendi facultas in munitionibus urbis non solùm ademta ac recisa fuit. 14. Sed apparatus etiam noster in cuniculis agendis, ob inopiam artificum hujus generis & aliarum rerum, cum hostis potentiâ & scientiâ minimè fuit comparandus. 15. Numerus stipendiariorum aliàs exiguus, & tormentariorum, aliorumq; bello operantium suprà dimidium fuit imminutus; multi civium juvenumq; præsenti morte occubuerunt, non pauci læsi ac vulnerati domi interierunt: hinc parùm virium superfuit ad propulsandas in circuitu urbis hostiles impressiones; imò in universâ Civitate vix mille armis ferendis idonei restabant. 16. Discessus Ill^mæ C^nis V^æ ex quo se conspiciendam præbuit, & reditus diu dilatus, cùm nec terminum nec modum literis suis exprimeret, animos civium labefactavit. 17. Regii equitum Præfecti, Capitanei, aliiq; militares viri, ut sæpiùs jàm antea, ita nunc quoq; postremò ad consilium adhibiti, conscientiam suam apertè testati sunt, nullam se urbis servandæ rationem videre; licet etiam cum instructo justoq; viginti millium armatorum exercitu Illma C^do V^a veniret, hostem tamen loco opportuno, & castris munitissimis, fossis aggeribus & sepimentis confisum, indè pelli, aut Civitatem ex manu illius eripi non posse; id quod D^ns Castellanus & alii ex Nobilitate jàm anteà privatim, nunc palàm testificantes audivêre. 18. In excubiis & vigiliis è tanto exercitu facilè fuit hosti aliquot virorum chiliadas disponere, & singulis diebus commutare, dum vix quinto quoq; die vices in orbem redirent: contrà cives nostri totam æstatem laboribus continuis, in reparandis munitionibus occupati fuerunt, in ipsâ quoque obsidione sine ullâ quietis intercapedine eos arma ferre, in suis quosque stationibus sex septimanas perdurare, cœli ac hostis injurias insomnes perferre oportuit: fabri quoque ferrarii, lignarii, cæmentarii, & id genus opifices, sine intermissione laboribus diurnis ac nocturnis quassatas partes reficiendo, ruinas instaurando, nova opera exstruendo, ita defatigati fuerunt, ut vires ferè nullæ jàm viderentur superesse: atq; in omni Civitate, præter ægrotos & senio confectos, quisque sui officii partibus strenuè perfunctus est. Tandem, optima tormenta Civitatis majora & minora nimio usu rupta fuerunt: pulveris quoque pyrii, cujus sanè licet superioris belli necessitatibus sæpissimè subministrati

 immen-

immensa copia diligentissimè congesta servabatur, penuria propè timenda fuit. Præterea Civitas arctissimè circumvallata erat, ita ut viæ omnes interclusæ spem defectus nostri supplendi nullam nobis relinquerent.

Quare in hoc extremo necessitatis puncto, dùm inter sacra & saxum versaremur, salutisq; ratio nulla appareret, secundum pietatis & rationis præscriptum, ac divina humanaq; tùm omnium gentium jura conclusum est, ex duobus malis minimum eligendum esse, atq; more gentium & multarum insignium civitatum exemplo petendum, ut oblatæ in sex horas armorū feriæ in triduum prorogarentur, nullo alio fine ac instituto, quàm ut intereà cuniculi, si fieri posset, aliaq; defensionis opera contra hostem perficerentur, simùlq; tempus differretur, quò Illma C^{do} V^{a} quod suis abiens ex castris ad Dunam positis, literis Skaddiâ missis, promiserat, nobis succurrendi facultatem haberet, auctioribusq; copiis reverteretur: Quam in sententiam, eâdem horâ septimâ vespertinâ scripta nostra declaratio in castra Suecica missa fuit, ac simul petitum, ut per tubicinem nostrum eo nomine ablegatum responsum daretur. Is vero tubicen sub eandem vesperam in urbem sine morâ remissus fuit, & feriæ armorum vix ad horam quintam pomeridianam posteri diei impetratæ sunt, sic tamen ut Civitas iisdem quoq; teneretur.

Itaq; (die 13. Sept.) convocato mane Senatu, omnibusq; Civitatis Ordinibus, cùm rei magnitudo maturè perpēderetur, cunctorum assensu, ne ante communem conclusionem pessum iremus, hæc qualiscunq; mora ad horam quintam, missis ad Regem horâ nonâ matutinâ literis, acceptata fuit. Tùm verò Rex simul postulavit, ut Civitas deputatos sub fide publica in castra ad tractandum negocium mitteret, ac Regios obsides intra urbem reciperet. Cùm itaq; summa Civitatis undiq; desertæ necessitas & angustia in consilio publico omnium oculis proposita cunctationi locum non relinqueret, selecti è numero ordinis Senatorii, more antiquo & receptâ consvetudine, mittuntur ad Collegium civium, qui rem omnem iisdem accuratè proponerent, & de omnibus ad salutem Civitatis pertinentibus consilia conferrent: quo audito, universa civium Communitas cum gemitu & suspiriis communem calamitatem & miserias deplorârunt, ac quoniam extremâ fortunâ Civitas staret, in eam sententiam ivērunt (prout Tribuni ac Seniores posteà more solito Senatui retulerunt) ut majoris securitatis gratiâ obsides utrinq; mitterentur, ac summo studio in eam curam incumberetur, ut si ullâ ratione fieri posset, armorum suspensio eousq; obtineretur, donec Illma C^{do} V^{a} cum auxiliaribus copiis à Sac. Reg. M^{te} decretis, diuq; à nobis expectatis superveniret, nosq; è periculo eriperet: idem etiam nos sensimus & judicavimus.

Quamobrem ad castra denuò scripsimus, fieri non posse, ut intra tàm angustum temporis spacium, res & causa gra-

sa gravissima rectè deliberaretur; moram igitur amplio-
rem nimirum viginti quatuor horarum, (omissâ certis de causis obsidum mentione) rogavimus: interim bonâ fide ab armis cessaretur, ad Civitatis munitiones miles propiùs non accederet, fossæ Civitatis materiâ non implerentur, pontes non admoverentur, aut quid aliud in damnum Civitatis tentaretur: atq; cum hoc responso tubicen, qui eâ nocte venerat, remittendus in castra erat; sed cum is justo tempore præstò non esset, alius mox quærendus erat, qui dùm abitum parat paululùmq; cunctatur, mox è vigilum statione in turribus collocatorum nunciatur, ingentem militum numerum ex castris hostilibus sub signis incedere ac Civitati imminere, diversisq; in locis consedisse, qui jussi erant (uti postmodùm comperimus,) nisi intra præstitutum terminum certa animi nostri declaratio obviam iret, ut protinùs, incensis præparatis cuniculis, irruptionem in Civitatem facerent.

His auditis Cives quidam fidelissimi, cùm contra utriusq; Collegii sententiam obsidum mentionem in iis literis factam non esse intelligerent, flagitare cœperunt, nos quoq; annuimus, ut avertendi extremi periculi causâ, de mittendis utrinq; obsidibus & colloquio mutuo sub salvo conductu instituendo, clausula iisdem literis jàm paratis insereretur, locusq; & tempus, quo obsides convenirent, designaretur. Nec dubium est, singulari DEI providentiâ consilia miserorum gubernantis contigisse, quòd hac clausula literis adjecta fuerit: hac enim ratione hostis ira mitigata, & præparatæ jàm irruptionis impetus retardatus fuit. Cæterùm non nisi ad 12. horam posteri diei inducias Rex concessit; quo quidem die, (qui fuit 14. Septemb.) convenire placuit, ubi salvi conductus formulam hostis more militari nostris obsidibus euntibus & redeuntibus misit, similemq; cautionem à Civitate postulavit. Super hoc responso consilia cum Castellano Vendensi, cum Vice-Capitaneo arcis, cum Revisore ac equitum Præfectis communicata, & ab iisdem approbata sunt. Igitur à parte Civitatis Dn. Henricus ab Ulenbrock Pro-Consul, Dn Joannes Ulrici Syndicus nomine nostro, è civium Communitate Joannes Witten & Gideon Ridder utriusq; Collegii Tribuni deputantur & ablegantur, qui omnes animo ægro ac tristissimo hanc provinciam decernere ac suscipere coacti sunt; id quod memorati Dn Castellanus & reliqui Nobiles, tùm alii ad consilium adhibiti testari possunt. In tantâ enim consternatione nemo fuit, qui non toto pectore hunc miserrimum Civitatis statum & fortunam sit aversatus, crebrisq; gemitibus deploraverit, adeò ut omnes mortem præsentem, si qua inde salus in Civitatem redundaret, quàm hanc legationem obire aut jubere maluerit: attamen faciendum fuit, quod ultima necessitas imperavit.

Quare missis utrinq; obsidibus, à Civitate post exhibitas fidei literas petitum fuit, ut juxta oblatam primis literis

teris conditionem inter neutrales locus sibi relinqueretur, eamq; ob causam promittebatur grandis auri argentiq; summa; ad quam conficiendam singuli civium, uxorum & liberorum suorum aurea & argentea ornamenta conferre paratissimi erant; saltèm ut in fide Regni Poloniæ sibi manere permitteretur. His aliisq; rationibus animum hostis flecti posse credebant, præsertim cùm petitio pietate niti videretur; Regnum nimirùm Polonicum gravissimo bello Turcico jàm implicatum esse; Rigensem quoq; Civitatem fidem & constantiam Regi & Reipub. Polonæ juratam probando (quod laudem potiùs quam vituperium mereatur) nullam Regi Sveciæ ejusvè subditis injuriam intulisse; ac proindè æquum esse, ut vim omnem hostilem à Civitate Rex Sveciæ abstineat, & copias suas abducat: Sin æquissima hæc petitio ad innoxii Christiani sanguinis effusionem inter populos religionis vinculo colligatos prohibendam non admitteretur, reliquum sibi esse, ut divino auxilio contra omnem vim se suaq; tueatur.

Adhæc ipse Rex respondit: quandoquidem certam induciarum securitatem manu Poloniæ Regis cognati sui subscriptam & signatam, salvâ quidem causâ principali, obtinere non potuerit, nec voluntaria Pernaviæ restitutio à se oblata promissaq;, urgente tanto belli Turcici periculo, accepta sit, facilè se hinc conjectare & prævidere, si ex animi sententiâ Turcicum bellum profligatum fuerit, quid

quid sibi & Regno subditisq; suis deindè expectandum fiet: propterea invitum se ad stabiliendam pacem, finitis prioribus induciis, hoc bellum suscepisse, eoq; animo ad Civitatem cum exercitu venisse, quæ licet per se nullâ ipsum injuriâ lacessiverit; sit tamen Regis Poloniæ subdita, hostis sui adjutrix, ac ceu domus belli, ex quâ omnes contra Regnum Sveciæ expeditiones, tanquam ex equo Trojano prodierint & promotæ sint: Hanc igitur oppugnandi sibi necessitatem imponi, ita ut eam aut in potestatem suam redigat, aut omninò ceu noxium sibi suoq; Regno nidum destruat; presertim cùm Civitas Rigensis, cui aliàs ob religionis communionem, tùm Germanicæ gentis jura, mores, & instituta faveat, minimè exemplum Civitatis Gedanensis, quæ ceu neutralis hoc bello durante quieverit, imitata sit, nec oblatum in primis literis hoc beneficium suum, antequàm tanti sumtus in obsidendâ hactenùs urbe erogati essent, quâ par est gratiâ acceperit, sed superbè spreverit, ac præcisè Polonis adhærere perstiterit: jam in eo esse, ut Civitas cathegoricè animum suum declaret, an sit deditionem factura, nec ne?

Cùm à Civitatis nunciis replicando reponeretur, quicquid ex fide debitâ Regi Poloniæ hactenùs præstitum sit, id accusationem aut culpam non mereri, nec crimini dari posse, ubi crimen nullum commissum sit: Cùm item de neutralitatis naturâ, requisitis & effectis in utramq; partem diligenter disputaretur, Rex, repudiatis iis omnibus,

 immo-

immotus in sententiâ suâ perseverans, ut confestim, quid in interiori mentis recessu absconditum habeant, & sibi tandem faciendum putent, paucis exprimant instando ursit, aut quid extrema sors belli ferat, periclitentur. At Civitatis nuncii precibus suis inhærentes, alteram simùl conditionem obtulerunt, ut, si omninò Neutralitas denegetur, saltèm ad unius mensis spacium (quod beneficii aliæ quoq; civitates & arces non raro expertæ sint) arma suspendantur, ut intereà Ducem belli cum auxiliaribus copiis nuper conspectum, qui cum supplemento majorum virium brevi se rediturum, & Civitatem ab obsidione liberaturum receperit, de periculo commonefacere possint; haud grave & molestum suæ Regiæ M^ti hoc fore, cùm ipsamet palàm professa sit, ad confligendum acie cum hoste auxilia laturo satis sibi virium & animi esse; & si id minùs sibi integrum esset, tutum se in castris munitissimis omnem hostilem impetum propulsare, ac nihilominùs animi destinata contra Civitatem effectui dare posse: sic autem fore, ut vel Civitate planè destitutâ, vel repulsis subsidiariis copiis, majori cum gloriâ victoriam reportaret, nostramq; de re tantâ conventionem ab omni criminis suspicione immunem præstaret; id verò maximè eam ob causam, ne nostro facto in Regno Poloniæ laudatissimæ gentis Germanicæ, & Augustanæ imprimis confessionis homines per calumniam prægraventur.

Cæterùm Rex iterum opposuit, non tanti se gloriam hanc emturum, ut, quam fortunante DEO manu nunc teneat

teneat victoriam, eousq; differat, & in castris arenosis diutiùs hæreat: idcirco cathegoricâ resolutione animum aperiant, seriò imperavit. Ibi vicissim ablegati statum Civitatis, quæ tota mercaturæ dedita & dedicata sit, exposuerunt; commerciorum usu eam cùm regionibus proximis inprimis cum magno Ducatu Lithvaniæ esse conjunctam, Rempub. Polonam pollere viribus & facultatibus, metuendam esse horribilem vastitatem Livoniæ & infinitas miserias, subditorumq; extremam oppressionem ac exitium, Regnum autem Sveciæ longo locorum intervallo disjunctum; & quæ alia tùm in mentem veniebant, atq; in ejusmodi casibus consideratione digna videbantur, summo studio exaggerârunt, obnixè rogantes, suprà oblatarum conditionum alterutram Rex acciperet, atq; ancipitem belli aleam evitaret; extrema enim Civitatem subire paratam esse.

Sed frustrà hæc omnia; Etenim Rex ne tantillum de suo proposito remisit, nisi quod Civitatem cum omni suo jure, forma gubernationis, moribus & consvetudinibus, quibus hactenùs Poloniæ Regno subjecta fuit, se conservaturum, omnibusq; viribus ac fortunis defensurũ, nec ullum vel cũ capitis sui periculo necessariũ officium prætermissurũ promitteret; & subjectionẽ denuò instanter urgere nõ destitit; Civitatem exitio proximam esse, idq; ab ipsâ non intelligi; oportere, ut cuniculos paratos oculis suis nuncii inspiciãt, deindè de salute suâ consultẽt, finemq; licitationis faciant,

 nec

nec patientiam suam nimio plus tentent, aut extremum casum experiantur; quem ipse Rex benè erga Civitatem imprimis verò erga imbellem sexum animatus abhorreat, DEum contestando, se solâ commiseratione innocentium fœminarum ac liberorũ ductum lenioribus hucusq; mediis usum esse; alioquin si vim ultimam adhibere cogeretur, militum furorem ac licentiam cuncta pervadentem, se authoritate aut imperio suo coërcere non posse, quibus invitis ac frementibus hucusq; impetum non permiserit: quod si jàm clementiæ locum dare velint, maturè & sine ulteriori cunctatione occasionem arripiant, seram deinde ac inutilem fore pœnitentiam.

Verùm Civitatis nuncii certis mandatorum limitibus constricti, cùm ampliùs progredi non possent, bonâ se fide ad Civitatis Ordines relaturos omnia sanctè promiserunt: atq; hanc quoq; gratiam Rex largiretur, ac tridui inducias concederet, orârunt. At Rex moræ jàm pertæsus præcisè negavit: tandem precibus iteratis victus, per Illustres Dñ. Generalem belli Ducem, Dñ. Archithalassum, & Dñ. Thesaurarium usq; ad meridiem sequentis diei negocium ampliavit. Sub vesperam nuncii in Civitatem, cùm Regii obsides essent dimissi, revertuntur, ac postridie (15. Septemb.) summo mane tàm Senatui quàm Tribunis ac Senioribus universæq; civium Communitati, nec non Dn. Castellano & aliis supra nominatis, bonâ fide ac diligentissimè, quæ acta sint, retulerunt. Jàm

Jàm omnes sanâ mente præditi senserunt, propositis hucusq; conditionibus nihil profici, nec interitum Civitatis, licet maximam fortunarum nostrarum partem pro salute patriæ profundere parati essemus, declinari posse, sed validissimum assultum universalem, cui tamen paucitas superstitum virorum nostrorum minimè sufficeret, excipiendum & depellendum fore, in quo omnium nostrorum vita salusq; periclitaretur: Et hanc quidem ipsam patriæ consecrare non dubitassemus, si publica salus hoc modo expediri, sexusq; fœmineus imbellis, liberi ac pupilli miserrimi fidei nostræ commissi, atq; omnia quæ in humano consortio inq; oculis DEI sunt carissima, à furentis Martis rabie ac miserabili excidio vindicari potuissent. Verùm enim verò, quoniam hujus rei consequendæ spem fortuna nobis omnem præcideret, neq; subvenirent à Rege & Repub. Polonâ nobis debita & ab Illmâ Cne Vâ promissa auxilia, imò ut maximè in hunc usq; diem obsidionem tolerassemus, eventu rem comprobante, non subvenissent: unanimi consensu ac concordibus suffragiis, accedente quoq; assensu Dn. Castellani & omnium reliquorum Regis Poloniæ fidelium subditorum, omnium gentium jura & exempla similia pristinæ ac recentis ætatis sequi ipsa fati inevitabilis necessitas omnibus humanis consiliis superior coëgit: Quod si enim contra legem DEI perpetuam conscientiæ regulam ad ultimæ desperationis vesaniam prolabi, & voluntariâ pernicie corpora nostra mactan-

mactanda præbere voluissemus; tamen Civitas Regi & Regno Poloniæ conservari non potuisset. Satiùs itaq; fuit vi majori cedere, ac præviis tractatibus (quos unà cùm prioribus Deputatis ex Senatorio ordine Dn. Thomas Ramus collega noster, Dn. Joannes Majer Secretarius, è civium verò Communitate viginti circiter viri consummârunt) Svecorum Regi victori nos dedere; generali confirmatione omnium jurium & privilegiorum, nec non incolumitate Poloniæ Regis subditorum, si manere nollent, quâ vitæ quâ fortunis pridie Regii ingressus impetratâ. Sed & hoc precibus nostris à Regiâ Mte obtinuimus, ut si intra triennium pax inter utrumq; Regem coalescat, in ditionem Reipub. Polonæ, salvis juribus & statu nostro redeundi nobis facultas sit.

Haud equidem inficias imus, ex insperatâ hâc mutatione tantam tristitiam nostros omniumq; civium animos incessisse, quantam à primordio civitatis majores nostros nunquam sensisse credimus. Nihilominùs DEi immortalis justissimi rerum humanarum moderatoris arbitrio & voluntati nos acquiescere oportuit, cujus etjam beneficio à præsentissimo interitu vindicatos nos esse gratissimis animis agnovimus: & tunc primùm intelligere cœpimus, quod fides nostra Regi & Reipubl. Polonæ præstita, judicii & rationis nostræ captum in discernendo quo inversati fuimus periculo, longè superârit, & quòd solius DEI præpotentis misericordiâ totum hoc negocium sapientissimè ita temperatum sit, ut præter votum ac expectationem nostram, magno cum Svecici militis murmure ac fremitu, spe prædam captæ urbis jam devorantis, mitiori exitu res terminaretur: Hoc idem tàm Jesuitæ quàm alii, qui tùm fortunæ nostræ socii fuerunt & liberè à nobis discesserunt, voce, manibus, ac sigillis suis ingenuè testati sunt, ac nobiscum immensam hanc DEi benignitatem deprædicârunt.

Jàm quo animo erga Rempub. Polonicam fuerimus, vel inde quoq; evidenter apparet, quod Dno Castellano, Revisori, equitum præfectis, equitibus, aliisq; Romanæ religioni addictis, quin ipsis quoq; Jesuitis, postpositâ privatarum litium, quibus civitatem implicârunt, memoriâ, omnia humanitatis officia præstiterimus, ac proinde non minori curâ de salute eorum solliciti, mox inter primas deditionis leges, incolumitatem corporum fortunarumq; difficulter pacti simus, ut abituris licuerit res suas vendere, & sine impedimento aliò transferre, prout cujusque rationes & voluntas tulit: Jesuitæ sanè vix similem æquanimitatem nobis exhibuissent, si fortè ipsis tali pacto salutis nostræ ratio habenda foret.

Cæterùm quod nos à Repub. Polonâ deserti, tanto cum facultatum nostrarum publicarum & privatarum dispendio ferè irrecuperabili, in hanc fortunam incidimus, id propter peccata nostra, quæ DEus coram vultus sui lumine ponit, & latentium causarum nexus pro admirabili

M

suâ sa-

suâ sapientiâ ad ejusmodi effectum disponit, nobis evenisse agnoscimus, ac proindè æquiori animo nobis ferendum ducimus. Causam fortassè haberemus justam omnes, de neglectâ defensione nostri conquerendi, quam Rex & Respub. Polona ex solenni jurejurando ad divini & humani juris præscriptum præstare calamitosis subditis debuit, (ut ex formulâ subjectionis Anno 1561. à Sigismundo Augusto Rege Vilnæ juratâ, quâ Livoniæ defensionem suscepit, videre licet; quò etiam Stephani Regis Anno Christi 1581. Drobicini ex pacto Civitati promissa tutela spectat) omnemq; culpam calamitatum ac miseriarum & indè nascentium dolorum desertoribus nostris imputandi: siquidem ad DEI omnipotentis exemplum, beneficiis suis bonos foventis & malos punientis, terrestres quoq; Reges & Principes sese conformare decet; quorum officio convenit, subditos paterno affectu & benevolentiâ prosequi, contra omnes injurias tueri, hostium machinationes vigilanter observare, omnem defensionis apparatum, pecuniam, militem, commeatum, arma maturè conquirere, & munitiones, castella ac arces præsidiis ac rebus omnibus necessariis instruere, itinera ac viarum claustra custodire, hosti cum instructo exercitu obviam ire, aut si viribus inferior sit, pacem firmare, omnia denique consilia sua & actiones, non ad sui solius affectionem aut dignitatem, non ad interitum innocentium subditorum, sed ad universorum ac singulorum salutem dirigere.

Verum

Verum enimverò animis ad pietatis normam compositis, iram Domini peccata ulciscentis portabimus, voluntatem illius pro decreto accipiemus, ac quæ mutari non possunt, patienter feremus; DEumq; Imperatorem supremum, à cujus dispositione tanquam causâ primâ pendent constitutiones, conservationes & mutationes humanarum communionum societatumq; sine murmure ac gemitu sequuturi sumus, quòd sine ipsius nutu ne capitis quidem pilum decidere sciamus.

Quamvis etiam, ut humana ratio fert, à Sveciæ Regno, cujus intuitu hoc infaustum bellum motum est, non magis quàm cæteræ Regni Poloniæ civitates & regiones affligendi ac gravandi fuissemus: tamen præ reliquis omnibus infeliciores in tanta mala incidimus, dùm commerciorum usu cum Lithvanis ac Russis ad alias civitates Polonicas derivato privati sumus; maritima quoq; navigatio ingenti damno nobis constitit, ubi aliquoties naves nostrorum civium mercibus onustæ, modò 10 modò 20. ab hostili classe interceptæ fuerunt: huc accedit terna suburbiorum nostrorum hortorumq; e vastatio, & rerum tàm Polonicis quàm Svecicis subditis creditarum amissio ac immensa æris alieni magnitudo: nec inter breve temporis spacium hæc calamitas stetit, sed annos jàm viginti duos sine ullâ misericordiâ & liberatione supremi Principis adeò duriter habiti, & quoad publicas privatasq; opes attriti sumus, quanquàm aliis civitati-

bus

bus Reipub. Polonæ, cum quibus tamen si non in potiori, certè in pari subjectionis causa versamur, fortunam non invidemus, quod extra belli periculum jure commerciorum & neutralitatis magno cum suo commodo fruuntur. Attamen DEI judicio hæc omnia committentes, Regi & Reipub. Polonæ etiam in his calamitatibus nostris censuræ iniquitate nō sumus obtrectaturi: sic enim persvasi sumus, nihil in perniciem nostram à Rege vel Repub. destinata voluntate profectum esse; at verò si quid erroris in consiliis humanis commissum est, sapientissimis quoq; Regibus & Rebuspubl. idem accidisse & accidere posse constat.

Simile quoq; ab Illmâ Cne Vrâ de nobis judicium expectabamus, cui quidem cura rei Livonicæ demandata, spesque inde optima nobis facta fuerat; verùm ut suprà memoravimus, præter expectationem utriusq; nostrûm evénit, quod ex singulari odio nonnulli tàm Illmæ Cni Væ quam Civitati nostræ, imò Germanicæ nationi & Euangelicæ religioni infesti, malorumq; in Livoniâ consiliorum autores, rem in Comitiis benè consultatam atq; ordinatam inversum iverint, unde nihil tempestivè, nihil solenniter, & eâ quâ conveniebat formâ sub Regis titulo ac chirographo ad prorogandas inducias, salvo principali negotio, effectum; belli in Sveciæ Regno præparatio alio sensu accepta & explicata; Civitati nostræ, non attentis crebris nunciorum illius obtestationibus in Comitiis publicis apertè interpositis, nimiæ vires tributæ, ac Svecici hostis respectu propè invicta æstimata, copiæ collectæ dissipatæ, thesaurusq; occlusus fuit, atq; persuasum, quasi ex vicinis regionibus & districtibus Mag. Duc. Lithvaniæ, si qua necessitas ingrueret, facili negocio miles tumultuarius, quo vires hostiles propulsarentur, colligi posset. Ea est, quæ ex malevolorum consiliis exorta est detestanda securitas! Hinc Illmæ Cnis Væ conatus in parandâ maturâ defensione, & tempore necessitatis nobis succurendi voluntas retardata fuit; hinc neq; nobis, neq; arcibus, uti Illma Cdo Va sæpiùs sperare jusserat, tempestivè prospicere potuit; hinc destituta provincia, & destituta necessariis auxiliis Civitas in præsentem statum devénit. Attamen hujus rei culpam Illmæ Cni Væ non perinde ut aliis imputandum arbitramur: Non enim nos latebat, Illmæ Cni Væ non voluntatem optimam, sed alia adminicula, sine quibus tanta negocia confici non possunt, defuisse.

Quapropter vicissim confidebamus, Illm Cm Vm, quæ quidem in literis suis ob gravissimum hunc casum nullâ nostra culpâ, humano more loquendo, accersitum, commiserationem quandam præ se ferre videtur, nobis, qui, ut viros bonos decet, contra virtutis & conscientiæ præscriptum nihil penitùs commisimus, in hâc calamitate nostrâ, pro eâ, quâ pollet judicii dexteritate, literis suis aculeatis & injuriosis, publicè insultaturam,

ram, famamq; & honorem nostrum sugillaturam non fuisse, dùm criminando exprobrat, ac si nullâ necessitate urgente, fidem & jurisjurandi religionem, Civitatem victori dedendo, violâssemus; cùm tamen non solùm ex nostris literis, sed aliorum quoq; fide dignorum à nobis discedentium ceu testium oculatorum, qui actionibus nostris interfuerunt, relatione meliùs & rectiùs fuerit informata: Sed quia nihilominùs collibuit Ill^mæ C^ni V^æ, tàm graviter in nos invehi, non possumus non hanc intolerabilem injuriam ad animum revocare acerbè molestèque ferre.

Nam quòd Illma C^do V^a desertionem nostri & subsidii defectum, nec non vim & potentiam hostilis exercitus eam, cui nos succumbere oportuit, negare nititur, quid aliud facit, quàm quòd viventis corporis animam, aut meridiani solis lumen negare ausit? Sic autem habeat Illma C^do V^a, se istis conjecturis & suspicionibus epistolæ suæ insertis, veritati ac justitiæ, in tàm notorio facto, nihil derogare posse.

Quod enim (1.) ad ædificia, mœnia, munitiones & arma attinet, Ill^mæ C^ni V^æ obscurum esse non potest, urbes etiam florentissimas, castraq; munitissima, atq; omni rerum & armorum abundantiâ instructissima, si vi majori oppugnentur, exitio tandem subjacere, nedùm si viris & præsidiis destituantur: id quod omnium temporum, cum primis nostri seculi exempla, tàm Germaniæ, quàm Italiæ, Hungariæ, Belgii urbium & arcium munitissimarum, ubi magna bella gesta esse scimus, testantur, quibus Rigensis Civitas non per omnia æquanda venit.

Præterea, (2.) quod militum inopiam Illma C^do V^a nostræ culpæ imputat; apud bonos gravesq; viros parum momenti habet: quippe virium nostrarum proportionem Ill^m C^m V^m attendere oportuit, nec plus à nobis pro æquitate judicii sui exigere, quàm facultates nostræ ferunt. Cùm in ditionem ac fidem Regni Poloniæ concederemus, benè nobis conscii fuimus imbecillitatis nostræ, cujus imprimis intuitu subjectionem professi, ac defensionem contra vicinos hostes à Rege Stephano uno eodemq; folio pacti sumus. Itaq; non nostris propriis viribus, sed Regni & Reipub. opibus defensio nostra nitebatur; in quam sententiam publica Comitiorum decreta promulgata sunt; utinam exequutio eorum subsequuta fuisset! Porrò quòd majora olim præstitimus, ac sub exordium hujus funestissimi belli circiter mille pedites nostris sumtibus aluimus, ex quibus alios sæpiùs unà cum tormentis, annonâ, & necessariis rebus ad expugnandas & tuendas arces & oppida aliasque Respub. operas, cùm publica necessitas flagitabat, contestandæ perpetuæ fidei nostræ ergò promtissimè suppeditavimus, necessariam conclusionem ad præsens tristissimum tempus non infert, quo ab illo felicitatis gradu diutinis armorum & hominum injuriis longè deturbati sumus. Nam (ut satis Ill^mæ C^ni V^æ constat) eadem est Rerumpub.

publ. & communitatum conditio & natura, quæ humani corporis; atq; ut medicus in curando eo accuratè circumstantias omnes pensitat, ac succulento validoq; fortiora medicamenta largiori haustu, quàm infirmo & macilento propinat: ita nec Illma C^do V^a à Civitate diuturni belli languore maceratâ, exhaustâ, tot damnis terrâ mariq; confectâ & defatigatâ, tantum roboris, quantum antea sana ac robusta præstitit, expectare potuit aut debuit. Atq; ut maximè omnes facultatum reliquias in conducendis mille circiter peditibus insumturi, literas & mandatarios nostros Lubecam ac in Prussiam miseramus, per vastam quoq; Livoniam summo studio militem conquisiveramus, colligere tamen supra numerum jàm antè definitum plures non licuit. Quâ in re haud dubiè fidei nostræ fides habenda erat, cum ipsamet Illma C^do V^a Regius belli Dux, missis undiquaq; expeditoriis Regiæ M^tis literis, operâ Officialium suorum exquisitissimâ, ne ducentos quidem milites Germanicos conscribere potuerit: ut silentio prætereamus, quantâ cum difficultate Polonæ Reipub. militiæ præfecti in bello nupero contra Turcam, quamvis amplum stipendium proponerent, vix dimidiatum numerum militum coëgerint, unde insignis quidam Præfectus non abs re gemebundus optasse dicitur, ut ex lapidibus milites in tantâ necessitate excitarentur. Ad quid ergò insimulatur unica Civitas, quòd plusquàm universa Respub. difficillimo hoc tempore præstare non potuerit?

tuerit. Errat quoq; Illma C^do V^a, dùm innuit, nos pacis tempore 300. & plures milites stipendio nostro alere consuevisse: secùs enim docent rationum nostrarum commentarii, nec vires nostræ tantis sumtibus non necessariis suffecissent.

(3.) Objicit Illma C^do V^a duo equitum vexilla sub Præfectis Labarre & Ceridone, subsidio nobis missa: At non meminit, eos regio stipendio non contentos, singulari mercede mēstruo nimirùm duodecim taleris de singulis equis, excepto pabulo, conducendos, atq; non tàm in usum civitatis, quàm arcis præsidium, quò etiam destinati erant, nobis alendos fuisse. Quod si ibidem stationem suam objissent, milites nostri, quorum numerus aliquando ad 70. 80. vel 100. circiter assurgebat, propriæ nostræ necessitati subtracti, præsidio arcis quotidie summittendi non fuissent. Jàm quantùm equites, quorum absentiam milites nostri supplere debebant, præstiterint, Illma C^do V^a facilè dijudicabit, ac sine dubio ex iis cognovit, qui à nobis discesserunt. Quidam in iis linguâ admodum promti fuére, sed manu inertes, super mensâ vel ipsum debellaturi Alexandrum: Sed ubi Rhodus, non semper saltus erat.

(4.) Illma C^do V^a nobis civium obœdientiam & concordiam objectat, magistratui, quasi vel ignaviæ vel infidelitatis accusari possit, periculum fortè creatura: Non invidemus civibus obœdientiæ & patientiæ laudem, quam laborando, vigilando, pericula depellendo, malaq; alia

 feren-

ferendo, promeruerunt; Verùm nos quoq; universi & singuli omnibus animi corporisq; viribus partem non minimam totius molis sustinuimus, ac non tantùm ordine statuq;, sed curis quoq; & in periculis adeundis priores fuimus, idq; tàm cives quàm peregrini, qui à nobis discesserunt, verissimum testabuntur. Atqui hæc ipsa omnium in civitate Ordinum concordia fidem nostram erga Regnum Poloniæ & constantiam arguit, atq; Illm Cm Vm omnesq; alios confutat, qui vel hunc vel illum Ordinem pusillanimitatis aut perfidiæ suspicione onerare satagunt: Si enim, cùm contra hostem pro Rege & Regno Poloniæ fortiter pugnaremus (quod tot innocentium sangvine testatum fecimus) nulla animorum disjunctio apparuit; quis est, qui pusillanimitatis nos meritò accuset, qui summâ necessitate adacti, in eâdem animorum conjunctione cum civibus, tàm iis qui abierunt quàm qui manserunt, perseverantes, mœstissimo vultu & animo deditionem fecimus? & quidem tùm demùm, cùm civium militumq; numerus, ut suprà memoratum est, valdè imminutus esset, periculi magnitudo usq; ad verticem capitis increvisset, & fiducia secundum DEum posita in subsidiis Illmæ Cnis Væ, (quæ duodecimam saltem hostilis exercitus partem ad Dunam adorta resiliit, & semel retrogressa ad nos non rediit,) evanuisset. Quod autem concordia illa vires nostras imbecilles, quæ tàm validum & numerosum exercitum propulsarent, auctiores reddere potuerit, Philosophorum leges ratiocinari non sinunt.

(5.) At

(5.) At actiori, Illma Cdo Va inquit, cives fidei vinculo, quàm milites conducti ad profundendum sanguinem & extrema subeunda tenebantur: Rectè sanè; Id enim actioni Illmæ Cnis Væ planè respondet, quæ militis sui sanguinem majori in precio habuit, quàm ut cum hoste potentiore dimicaret, ac periculosam certaminis aleam jaceret, Idem de jure certis axiomatibus evincere laborat: Sed quatenùs hæc viris belli peritis probari possint, dies docebit. Civium fidem & constantiam erga supremum Principem verbis non extenuabimus, quam quanti & nos & illi fecerimus, factis utrinq; testificati sumus: Vix tamen Illmæ Cni Væ dare possumus, cives armorum imperitos, extra belli strepitum educatos, periculorum insolentes, extra vocationis suæ ordinariæ terminos plus contra hostem, quàm milites singulariter hoc nomine stipendiis conductos in officio suo ordinario præstare teneri: alioquin ex hac militiæ professione pauci fortes milites existerent, paucæ quoq; civitates conservarentur, pauciores item caperentur: licet in eo pares sint cives & milites, quòd utriq; pari fidei, pietatis, omniumq; divinorum & humanorum jurium vinculo adstringantur (id quod nostrates mutuâ certandi æmulatione testatum fecêre) neutri tamen ultra possibile obligentur. Quotidiana experientia demonstrat, munitiones præsidiariâ aliquot millium militum manu firmatas, necdùm in tanto periculi gradu constitutas, ad deditionem compulsas esse, præsidia

N 2 ad Do-

ad Dominos suos reversa, facti sui apud eosdem non vituperium, sed excusationem meruisse, quippe non ignaros, humanis potiùs ingemiscendum esse casibus, quàm famæ aut bonori devictorum quidquam detrahendum. Cujus rei plurima pristini ævi, tùm nupera quoq; exempla civitatum Juliaci, Reinbergi, aliarumq; munitionum in memoriâ recenti hærent.

(6.) Absurdum est quod objicit Illma Cdo Va, commeatum nobis non defuisse: In eos enim, qui simùl viribus ac copiis satis instructi, ex metu inani, nullâ cogente necessitate deditionem faciunt, hoc torquere licet: nos verò annonæ defectum causam deditionis nunquam prætendimus. Feriatus utinam ab armis hostis esset, usq; dùm annona nostra defecisset, maturè tamen satis è Podoliâ succenturiata subsidia, licet integram ibidem annum morata, subvenissent. Sed ab abundantiâ commeatus quæ salus?

Quando devictis sita res in cuspide ferri est,
Vivantnè an tristi exitio absumantur Achivi?

(7.) Porrò libuit Illmæ Cni Væ turrium & tectorum ruinam ceu ridiculam causam animorum consternatorum & subsecutæ deditionis nobis affingere; cum tamen ex tot literis nostris clarè perspexerit, vix mulierculas aut minorennes nostros isto ruinarum vel tectorum fragore perterrefactos fuisse, nedum ut nos admodum commoti simus; licet continuâ majorum tormentorum terribilia fulmina, tùm ignitorum globorum & grandiorum lapidum

pidum ejaculatio, haud parum damni Civitati dederint. Sic autem statuat Illma Cdo Va hanc continuam tormentorum displosionem, etiamsi ædibus nostris solo æquatis, imbelli cœtui necessitas in subterraneas cellas ac specus migrandi imposita fuisset, minimè causam deditionis fuisse, nisi (quod ipsamet Illma Cdo Va innuit) cuniculi artificiales subtus propugnacula Civitatis nullâ ratione à nobis prohibendi, tùm violenta in munitiones extremè quassatas irruptio cervicibus nostris jamjàm imminens, & quæ illam consequi solent, infinita mala, quibus virium nostrarum imbecillitas respondere minimè poterat, animos nostros terrore non vano perculsos ad deditionem inclinâsset.

(8.) At non primi (Illma Cdo Va regerit) Rigenses hoc genere oppugnationis sunt petiti. Verum hoc quidem & fatendum est; sed nec id falsum aut diffitendum, non primos esse Rigenses, qui cuniculis expugnati & victi sint. Hìc Illma Cdo Va nos insimulat, quod contrariis cuniculis hostiles non everterimus! Facilè est linguâ consilia jactare sua, carpere aliena, sed manu præstare difficile. Non defuimus officio nostro, pro virium nostrarum modulo, ut in reliquis rebus ad defensionem civitatis parandis, ita in hoc hominum genere conducendo, & laboribus continuis mancipando, quibus diu multumque hostiles machinationes in hemicyclo inferiori ad portam arenosam elusimus.

 Quod

Quod autem hostis noster artificibus cunicularijs alijsq; instrumentis & adminiculis instructior, nos numero, firmitate & celeritate superaverit, nulla hîc nostra culpa est. Quod aquilam accipiter, Sveciam Riga viribus & potentiâ non æquet, neutri crimini dari posse obvium est.

(9.) Quid ultrà? Hæc culpa, hoc crimen est, Illma C^do^ V^a^ nobis insultat, quòd unius saltem mensis & septimanæ spacium obsidionem toleraverimus: Nos verò inde conjicimus, Ill^m^ C^m^ V^m^ nondùm esse de his rebus rectè edoctam, nec percepisse, quanto cum impetu hæc aquilonaris tempestas in civitatem incubuerit, quamq; gravis fuerit humeris sub onere fatiscentibus: si ipsamet Illma C^do^ V^a^ hîc fuisset, aliter sentiret; certè patientiam suam satiâsset. Non est quod temporis brevitatem vel dierum numerum, sed periculi magnitudinem & hostilis exercitus robur computet, justâq; æstimatione ponderet. Ipsamet Illma C^do^ V^a^ in castris suis trans Dunam, non quinque septimanas, non quinq; dies, sed vix octodecim horas, vi majori & periculi metu ita jubente, commorata est! Et nobis vitio vertere non veretur, quod necessitati, quæ in quinq; septimanis ad extremam lineam assurexit, cedere coacti simus? Jàm si quis miretur, quòd alteras quoq; septimanas quinq; interitus nostri paroxismum non sustinuerimus, miretur ille & hoc, & accuset ægrotos, quòd periculoso & vehementi morbo correpti, septimo, nono vel undecimo die vitam claudant, nec ad vigesimum vel trigesimum diem supervixerint.

(10.) *Et*

(10.) Et licet sint quædam urbium, ut Illma Cels. V^a^ nobis objectat, quæ vim hostilem superârunt: nunquid etiam non meminit Illma C^do^ V^a^ multò plura recenseri urbium exempla, quæ nostrâ longè munitiores, milite atq; omni apparatu instructiores, hostibus non æquè potentibus victas manus dederunt? Nobis quidem id jure gloriari licet, si ulla unquam civitas, certè nostram inevitabilis fati violentiâ & necessitate adactam, ac summas in angustias detrusam, deditionis justissimam causam habuisse. Nec dubitamus, si vel optimus belli Dux vel Hectori similis nobis adfuisset, eum, cognitâ periculi magnitudine, maturiùs ad hæc ipsa remedia expediendæ salutis publicæ fuisse descensurum. Nos enim quod usq; ad ultimum temporis articulum desperabundis similes negocium traxerimus, ac spem contra spem conceperimus, simplici quâdam & ingenuâ fiduciâ, fidem erga Rempub. Polonam illæsam conservaturi, inducti sumus: sed & retinendi pristini commerciorum usus & libertatis studium; partim etiam tantarum machinationum ignoratio audaciam nostram obfirmavit.

(11.) Atqui instat Illma C^do^ V^a^ & immeritò culpam in nos rejicit, quasi non satis de tantâ, quæ nos premebat & animos despondere cogebat, necessitate a nobis commonefacta sit; alioquin se etiam capitis sui periculo nobis succursuram fuisse! Proh DEum atq; hominum fidem, quæ hæc accusatio est? Testamur oculos auresq; Ill^mæ^ C^nis^ V^æ^ arctis-

Væ arctißimæ obsidionis, & tonitruum hostilium judices; testamur tot nuncios & creberrimas literas nostras, quas, dum via patebat, & satis grave & factu difficile erat, eo nomine ad Illm Cm Vm mißitavimus. Quid verò responsi, unde spem certam auxilii subventuri caperemus, tulerimus, testes sunt ipsæ, quæ diligenter à nobis asservantur Illmæ Cnis Væ literæ. Sub adventum hostis Illma Cdo Va Vizunis die $\frac{3.}{13.}$ Augusti, scripsit, se proximè sequenti septimanâ infallibiliter in castra venturam; quæ autem & ubi, non exprimit. Posteà cum hostis advenisset, iterum scribit Illma Cdo Va ex eodem loco die $\frac{6.}{16.}$ Augusti, se absq; omni dubio prima castra in Curlandiâ ad Dunæ ripam posituram. Deindè cum Birzas redüsset, pollicetur Illma Cdo Va die $\frac{11.}{21.}$ Augusti, ut in prioribus quoq; literis sæpè promisit, se ducentos pedites vel haydones (quos tamen non vidimus) nobis auxilio, si cuperemus, missuram, in reliquis quoq; nobis operâ & studio suo non defuturam, ac in castra (quorum locum tamen non exprimit) quamprimùm venturam; interim se doceri vult, quid hostis agat aut moliatur. Porrò cum apud Barbaræ fanum copias colligere cœpit, literas mittit die 3. Septemb. stil. nov. scriptas, se brevi nobis & hosti conspiciendam se præbituram; id quod accidit, sed conspectus ille non diu duravit, plusq; tristitiæ reliquit quàm gaudii attulit. Tandem post suum recessum Illma Cdo Va die $\frac{30.\ Augusti}{10.\ Septemb.}$ ex castris Skaddiensibus scribit, quæ literæ $\frac{4.}{14.}$ Septemb. die nobis primùm redduntur, cùm hostis ad Dunam viribus ac firmitudine loci sit superior, se copias majores collecturam ac redituram esse: diem tamen, quo & quantis cum viribus ventura sit non exprimit. Deinceps autem cum ob interclusa itinera literas vel nuncios mittere prohibiti fuimus, nihil literarũ ab Illmâ Cdne Vâ accepimus. Non inficiamur optimo animo Illm Cm Vm fuisse affectã, & uti anteà, ita nunc quoq; communem salutem Provinciæ defensam voluisse; sed quia tantũ virium colligere non potuit, quæ hosti ad Dunam munitißimis castris firmato æquâ proportione responderent, prudenter sibi & Reipub. consuluisse, nec tàm gloriolam suam quàm publicam salutem, quæ in Illmâ Cdne Vâ & in milite consistebat, spectâsse; id nimirum considerando, semel tantùm in bello peccare licere: ac si fortè in prælio miles Illmæ Cnis Væ occubuisset, latam hosti fenestram patefactum iri in Lithvaniam & Curlandiam excurrendi. Quî fit autem, quòd similes rationes nostræ in simili ac fortè majori periculo apud Illm Cm Vm locum non inveniant? cur sceleris ac perfidiæ loco habetur, quod hoste longè inferiores, & tanquam indagine undiq; clausi & inter malleum & incudem constituti, id remedii genus salutis servandæ gratiâ elegerimus, quo à certißimo interitu nos & universam Civitatem, uxores liberosq; vindicaremus. An tàm vili precio à Cdne Vâ æstimamur, ac si sanguis nostrorum omnium, non

eâdem

eâdem dignatione à DEo ac Christiano orbe censeretur, quâ stipendiarii militis? certè id nemo nobis persvadebit.

(12.) Tandem in victoris clementiam nostris literis deprædicatam nos deliquisse Illma Cdo Va arguatur, quasi eâ fretis ira victoris minùs formidanda atq; adeò tàm festinata deditio deproperanda non fuisset! Sed verba sunt in publicâ calamitate miseros & oppressos subsannantis; nec operæ precium in confutandis istiusmodi cavillationibus facturi sumus. Nam in summis angustiis & manifestâ virium inopiâ, potentissimi hostis extremam patientiam tentare, spretâq; oblatâ misericordiâ iram armatorum in se concitare, id verò extremæ dementiæ est. Perstat igitur solidum ac immotum veritatis fundamentum, à nobis summâ vi oppressis ac planè derelictis nihil commissum esse, cujus non possit coram DEo & universo orbe ex politicis & militaribus legibus reddi expedita ratio; siquidem ea urbium & castellorum, ut cunq; sunt munitissima, ratio est, ut, si à potentiori hoste labore non interrupto & indesinenti oppugnatione premantur, ac undique arctissimè cincta subsidiis prohibeantur, in potestatem oppugnantis veniant necessum sit.

Nunc superest, ut rationes Illmæ Cnis Væ examinemus, quibus probare nititur, auxilia Regis ac Reipub. submissa esse. Primò asserit Illma Cdo Va in Comitiis publicis ea esse decreta; Fatemur equidem; quippe de iisdem per Responsa publica nunciis nostris data, tùm per varias literas

Regias

Regias in Civitatem missas benè sperare subindè jussi sumus; sed sperare tantùm: Quæ enim decretorum executio? quæ arcium præsidia? quæ subsidia contra vim obsessis suppeditata? Ipsamet Illma Cdo Va literis suis Vilnæ die $\frac{4.}{14.}$ Julii datis queritur, grave sibi, imò impossibile esse exiguas copias, nedum justum exercitum, in hoc rerum statu colligere.

(2.) Sed Illma Cdo Va quicquid hîc in ferendo auxilio mora culpavè intervénit, totum in hostem bellum integro triennio contra nos præparatum occultantem, & Commissarios in Tractatibus ludentem rejicere satagit. Quid ad nos? Regia Mtas hanc causam dicat: Utinam verò Poloni in præparandis defensivis, maximè sub exitum induciarum, armis sollicitudine suâ hosti respondissent, fortè in tantas miserias tristissima Livonia & Civitas nostra conjecta non fuisset.

(3.) Hæc Illmæ Cnis Væ de hoste est sententia: de nobis verò ferè non absimilis: Nimirũ nos spem pacis literis quibusdam nostris fecimus; nos in causa fuimus, quòd copias Illma Cdo Va serò collectas serò in campũ duxerit. Valdè hîc errat Illma Cdo Va: In hanc enim sententiã non meminimus, ullas unquã à nobis ad Illm Cm Vm literas missas esse, nec in Cancellariâ nostrâ conceptas servari scimus: Illud verò recordamur, multorum invidiam ac odia in nos concitata esse, quòd soli præter Illm Cm Vm de pace desperavimus, atq; hâc ratione inanium sumtuum bellicorum atq; injuriarum militis passim populabũdi autores futuri essemus.

(4.) Quam-

(4.) Quamvis item Illma C^do V^a innuat, hæc auxilia ingruente bello nobis submissa esse: tamen ex ipsis Ill^mæ C^nis V^æ diverso tempore ad nos ante ac post deditionem missis literis contrarium apparet; in quibus omnibus de difficultate copiarum conflandarum queritur, spem autem de majoribus quotidiè confluentibus facit: in iisdem quoq; literis apertè fatetur, se tardè quidem, sed non serò, vigesimo scilicet ab obsidione die cum volitantibus vexillis trans Dunam sese conspiciendam præbuisse: tandem in literis ad Skaddiam eodem quo hinc discederet die scriptis, ostendit, nondum se virium satis habere, sed augmentum plurium copiarum exspectare. Hæc minimè consonant cum illâ assertione, statim ingruente bello auxilia missa esse; ea enim nostræ Civitati laboranti adesse, non aliis in locis periculo vacantibus hærere debuissent.

(5.) Illa verò ipsa quæ è longinquo conspeximus subsidia, quid nobis profuerunt? non magis quam famelico panem, vel ægroto pharmacopolium eminùs intuenti, quando re præsenti frui non datur. Sanè gaudium nostrum de adventu Ill^mæ C^nis V^æ in literis nostris gratulatoriis Ill^mæ C^ni V^æ magno cum periculo per stationes hostium noctu missis, exposueramus; plus autem solatii ex præsentiâ Ill^mæ C^nis V^æ & liberatione cepissemus: quamobrem petiimus, quid animi haberet, quid postridie contra hostem tentandum, quidq; à nobis præstandum putaret, nos certiores redderet; nos enim ad omnem casum paratos fore. Verum Illma C^do V^a rem in eo cardine versari perspexit, ut postridiè ce-

die celeriter pedem referre coacta sit, literæ autem ejus in castris ad Skaddiam eodem die datæ, ob infesta itinera, non nisi quarto pòst die nobis redderentur.

(6.) Unde neq; spes ea, quâ nos tot literis suis hucusq; Illma C^do V^a lactavit, potuit esse tàm pertinax, cui tantâ urgente necessitate ulterius inniti, aut tutò confidere possemus. Quæ enim hæc spei nostræ anchora? auxilia esse in propinquo; exercitum Ill^mæ C^nis V^æ augeri; propterea Ill^m C^m V^m Dunâ recessisse, quia hosti non sufficeret, sed brevi cum majori exercitu esset reditura. Constat ex sacrarũ literarum testimonio, Abrahamum quidem patrem credentiũ in spiritualibus celebrari, quod spem contra spem foverit; attamen cũ captivum fratrem suum Lothum ex Regum infidelium manu redemturus erat, nõ solâ animi fide nitebatur, sed 318. servorum suorũ auxilio, sumtis armis, manus quoq; movebat. Num efficaciorẽ fidem Rigensibus quàm Abrahamo Illma C^do V^a tribuet? Utinam hostis fama adventuri auxilii deterreri à proposito potuisset, libenter spem indubiam ac tenacem aluissemus! Esto sanè si deditionem dies aliquot differre valuissemus (quod tamẽ in nostrâ potestate non erat situm) quo pacto tandem Illma C^do V^a nos undiq; firmissimis munitionibus circũvallatos è periculo eripuisset? cum longo pòst tempore, quo omnes copiæ sine dubio sub signis convenerãt, Mitaviæ à Rege duabus tantùm universi exercitus partibus obsessæ opem ferre nequiverit, nec iteratò ad pugnam provocata cum hoste ad castra usq; Ill^mæ C^nis V^æ progrediente confligere, sed vi majori, quãvis

equi-

equitatu instructior, & patenti in campo securior periculo se subducere potuisset, cedere maluerit. Quâ quidem in re Illma Cdo Va vires suas cum hostilibus conferendo, tempus, locum, occasionem, futurosq; eventus prudenter pensitando, tanquam cautus belli Dux, quod optimum visum fuit, delegit. Quo igitur jure nos reprehendit, quòd dubiæ spei de auxiliis in hanc usq; horam non subventuris frustrà innixi, crudeli temeritate extrema periclitari, atq; in vastam exitii voraginem nos præcipitare abhorruimus?

(8.) Neq; est quòd Illma Cdo Va nos insimulet, ac si paucitatem copiarum suarum despexissemus, ac DEI præsidio justæq; causæ minùs essemus confisi; Ex omnibus enim actionibus nostris liquet, plus nos fiduciæ in DEum quàm ipsam Illm Cm Vm collocâsse, qui vitam ac sanguinem multo tempore cum interitu multorum virorum bonorum impendimus, tùm Illm Cm Vm licet parvâ manu armatam constanti sollicitudine accersivimus. Quin ipsamet Illma Cdo Va in causâ politicâ nonnisi cum ratione DEo confidit, nec temerè tàm exiguis copiis cum valido exercitu confligendum, sed meliori tempori & fortunæ ad usum Reipub. prudenter se reservandam censuit. Cur ergò nos ceu sensus communis expertes nudis promissis & spei frustraneæ tamdiu inniti oportuit, donec propugnacula Civitatis per cuniculos in aërem disjecta, urbs quoq; incendio, cædibus ac rapinis vastata direptaq; fuisset? Si

autem

autem hanc fiduciam nostram ipso facto liquidò comprobatam eventus fefellit; divinam tamen justitiam accusare Christiana pietas vetat: rursus à Repub. Polonâ, Illmâ Cne Vrâ aut alio quocunq; accusari non meremur; quin omnia quæ evenerunt, occulto & inperscrutabili DEi judicio committenda, & in silentio ac spe fortiter sustinenda arbitramur.

Tandem metum quendam Illma Cdo Va nobis improperat, qui ad deditionem nos perpulerit: Quod si muliebris aut puerilis iste metus fuit, est certè, cujus nos meritò pudeat; sin talis, qui in constantẽ & fortissimum quemq; cadere solet, & ad eadem consilia confugere eos nõ raro jussit, injuria est, quòd Illma Cdo Va ignominiæ notam nobis inurere & nos eâdem operâ incusare non veretur, quòd impiâ Phocensium desperatione ac stolidâ ferocia, uxores liberosq; diripiendos, trucidandos, aut perpetuâ servitute opprimendos, furenti militi non propinaverimus:

Dulce & decorũ est pro patriâ [non cum patriâ] mori.

Si eodem nos quo Illma Cdo Va affectu duceremur, justiùs Illmæ Cni Væ metus objici posset, ideò, quod haud diu ultra Dunam morata, nunquam reversa, periclitanti Mitavia opitulata non sit, pugnam deniq; cum hoste detrectaverit: sed conscientia nostra & prudentissimorum virorum judicia non permittunt, siquidem Illmæ Cni Væ prudentiæ hoc imputandum censemus; at similem vicissim censuram apud Illm Cm Vm jure merebamur.

Summâ

Summâ ergò ab Illmâ Cne Vrâ injuriâ afficimur, literis ac dicteriis ejusdem incessiti, ac si urbem ultrò, præcipiti metu, nullâ urgente gravi necessitate, nec præmonitâ Illmâ Cne Vâ, obliti nexus ac sacramenti fidei, Regiæ Mti & Reipub. Polonæ debitæ, ruinam turrium ac ædium evitaturi tradiderimus, fortitudinis ac constantiæ pristinæ immemores, castitatem & integritatem fidei nostræ amiserimus, ac decantata merita nostra obscuraverimus.

Hæc talia ab Illmâ Cne Vâ sub subærato pristinæ amicitiæ auro, ac fucatæ imò etiam in ipso literarum Illmæ Cnis Væ vestibulo resignatæ benevolentiæ pallio, jactata in improperium nostrum per calumniam crimina fronti nostro inuri non patiemur, eaq; æquo animo ferre nec possumus nec debemus; quin Illm Cm Vm aliosq; omnes, qui eandem cantionem concinunt, apertâ contradictione redarguimus, quippe qui sub veritatis & innocentiæ clypeo satis nos tutos esse scimus. Quemadmodum enim Regi & Regno Poloniæ fidem hucusque nostram integram illibatamq; conservavimus, quantumvis supra viginti & duos annos, belli alieni, & à nobis non excitati ingentia mala & calamitates, aliis interim urbibus quæstum & lucrum ex nostrâ pernicie facientibus, perpessi simus: (quod præclara Regis & Reipub. Polonæ testimonia non pauca asserunt, & res ipsa palàm loquitur) Ita in præsenti obsidione nunquam animos nostros subiit, ab istâ fide & obedientiâ deficere. Et quidem hanc fidem concordia civium nostrorum, (de quâ fortassè multi in Poloniâ dubitant, Illma Cdo verò Va certò persvasa est,) comprobavit, quippe quæ

pe quæ

pe quæ in eo potissimùm consistebat, quòd durante obsidione non per transfugam, non schedam ullam, imò ne verbulum quidem hostis de statu nostro edoctus fuerit, licet præmium mille talerorum ei, qui captivum vel alium quempiam statum civitatis nunciaturum exhiberet, propositum esset; excepto saltem quòd, præter pugnantem in cuniculis textorem captum, ante cœptos tractatus famulus militis cujusdam, & inter armorum ferias Lotavicus puer transfugerint: quod ut laudem maximam nobis, sic summam hosti admirationem & simùl anxietatem peperit.

Atq; ab hoc fidei nostræ & constantiæ tetragono, non ulla animi fluctuantis affectio, non odium aut amicitia, non utilitas aut dignitas ulla, vel quidquid mortalia pectora movere solet, nos dimovere aut abstrahere potuit: sed solius ineluctabilis fati violentia ac præsentissimæ panolethriæ horror cum ingenti dolore nos abripuit, avulsit, & Regis Sveciæ imperio subjecit. Hoc ipse DEus Opt. Max. omnes latentes animorum recessus perscrutans, in ultimâ illâ mundi disquisitione testabitur; tùm per se quoq; notoria esse putamus, quæ in luce clarissimâ, & oculis totius orbis gesta sunt, ut omnium bonorū & militiæ peritorum judicia non vereamur. Quin Regia Mtas ipsa Dominus modò noster clementissimus, hâc fide & fortitudine nostrâ tantoperè fuit delectatus, ut, quamvis magnis sumtibus ac laboribus, inprimis verò tormētarij pulveris jacturâ immani, nec nō multorum insignium Officialium, tùm militis numerosi sanguine hæc expugnatio sibi constiterit, tamen animo verè regio & excelso hanc virtutem

tem

tem nostram cedro dignam judicârit, & clarissimâ voce, sub ingressum urbis nos obtestatus sit, majorem se fidem fortitudinem & obsequia à nobis non postulare, quàm quæ Regi & Reip. Polonæ hactenus & in hac ipsâ obsidione præstitimus.

Quamobrem utrum Respub. Polona vel Illma Cdo Va, quæ & præsidio & subsidio non adfuit, de nobis; an verò nos de Repub. Polonâ ac Illmâ Cne Vâ justiorem conquerendi causam habeamus, videat & judicet Dominus DEus & universi prudentes domesticis affectibus soluti.

Porrò non possumus non vehementer mirari, exprobrare Illm Cm Vm nobis, se ob favorem suum erga Civitatem, cujus merita in publicis Comitiis & alibi prædicaverit, multorum invidiam subiisse! Sic enim existimamus, id nos de Repub. Polonâ abundè à primo subjectionis, imò multo antè tempore meruisse: satis enim merita nostra tàm Ordinũ utriusq; status, nec non Nunciorum terrestrium Nobilitatis universæ tùm quorundam Jesuitarum, longè antè quàm nos mutuâ amicitiâ jungeremur, testimoniis & documentis comprobantur. Jam quòd Illma Cdo Va ex quo bellum in Livonia, Dño Chodkiewicio Moschoviticâ militiâ occupato, nomine Reipub. gessit, nostra obsequia & auxilia, quibus jam anteà Ejus in hoc munere antecessoribus adesse consvevimus, similiter experta est, eaq; ut par fuit, simul cum aliis commendavit, rem fecit excelsâ suâ dignitate, tùm ipsâ veritate dignam; ac si pristina fortuna mansisset, in hoc studio libenter perseverassemus. Nunc conscientiam nostram virtus & integritas perspectissima consolantur, nec cujusquam odium promeruimus.

Si qui

Si qui tamen fortè animo malevolo in nos fuerint, quorum cupiditates explere nequivimus, isti ingenii sui ductum secuti sunt; nobis verò accidit, quod vulgatum habet veriverbium; Virtuti comes Invidia.

Cæterùm, quam nobis Illma Cdo Va malorum ex hac conversione oriundorum Iliadem ominatur, nos ipsi in consultatione dedendæ urbis prævidimus; sed communis omnium nostrorum interitus, & inexorabilis fati, cui cuncta cedere coguntur, extrema necessitas, Dictatoriâ potestate consilium conclusit. Interim tamen de infinitâ DEI benignitate, qui ex tot malis insigne aliquod bonum pro suâ admirabili sapientiâ elicere potis est, non desperantes, patientissimis animis meliora exspectamus: is enim fortè iram suam placatus nostriq; misertus avertet; adversariis verò nostris bellorum cupidis & innocentium perniciem machinantibus mala consilia & cogitationes in capita eorum rependet. Solet enim DEus per bellorũ sævitiam utriusq; partis peccata plerunq; castigare. Non equidem negamus, partem calamitatum, quas Illma Cdo Va literis suis recensuit, quæq; bellum comitantur, nos jam sentire: Veruntamen nihil sub Sole stabile est; & nulla Respub. fortunam ita faventem habet, in quâ membra suos non patiantur manes: nec sub Polonico imperio gravaminum & querelarum expertes fuimus; fides nihilominùs & constantia nostra illibata permansit. Si præsidia toleramus, quæ jure regio ac suo sumtu victor Civitati imposuit! meminerimus, ad securitatem & levamentum civium nostrorum hoc pertinere; sanè militari disciplinâ juxta præscriptum or-

dinationis

dinationis regiæ, quam Gubernatori suo discedens reliquit, adeò coërcentur, ut aliquot mille militum, tàm in Civitate quàm in castellis circumjacentibus collocati, vix tantū molestiæ nobis creent, quantum jam antè pauci Haydones in arce Rigensi nidulati nobis inferre non dubitârunt. Quod si ex voto non omnia nunc succedunt! consolatur tamen nos solennis rerum humanarū vicissitudo à DEo ordinata, ubi prospera cum adversis, cum paupertate divitiæ, valetudo cum morbo, cum bello pacis felicitas non Rigæ tantum, sed in universo orbis theatro invicem commutantur. Si fortunarum nostrarum jacturam fecimus! & Germania, Gallia, Hungaria, Bohemia, Austria, Polonia, Belgium, aliaq; regna exempla infinita variantis fortunæ nobis suppeditant, quæ plurimos virtute, divitiis & honore excellentes viros supra civilem sortem evectos, proximis annis de summo felicitatis gradu, ad pauperiem extremam deturbavit, imò non paucorum ædes ac prædia, uxoribus atq; liberis immaniter trucidatis, pleriq; in barbarorum servitutē abductis, igne ferroq; devastavit: nam DEus in cœlo habitans, terrarum orbem justitiâ & æquitate moderatur, nec personarum rationem habet. Esto Rigenses aliquot cives amissas suas opes qualescunq; nunc lugere! certè illustres viri Senatorii Ordinis sortem suam querulâ voce aliquando deplorârunt: Si commerciorum usus cum Russis Lithvanis & Curlandis turbabitur & in damnum Civitatis imminuetur! equidem ipsi quoq;, qui à quatuor jam seculis Rigensium commerciorū utilitate fruiti sunt, haud dubiè parùm emolumenti inde reportabunt:

Si periculum nobis à Poloniæ Regno imminet! profectò Magno Ducatui Lithvaniæ & Curlandiæ (cujus invasio præter meritum nobis à quibusdā affingitur) non minora à Sveciæ Rege impendent pericula: Si paupertatis onere gravabimur! sanè Lithvani vel Curlandi divitias non cumulabūt: Nondum è Civitate nostra DEus & fortuna planè exulatum abiit; supersunt & hîc etiamnùm divinæ benedictionis semina, cujus fructus mirificè succrescentes gratâ subindè mente, quantum satis est, decerpimus;

Cæterùm quam in literis suis Illma Cdo Va pingit triplicem felicitatis differentiam, ceu mirabilem & vix refutatione dignam, non admodum moramur, divinæ legis & rationis humanæ normam secuti. Quod si felices laudeq; digni sunt, qui fortiter pro patriâ occubuerunt! quidni & illi, qui vitā & sangvinē pro cummuni salute profundere paratissimi, divinâ tamen providentiâ ad majores Reipub. usus conservati sunt? Sànè utrisq; laudatarū gentium more & instituto præmia ac honores sunt decreti. Illos verò, qui ab omnibus tractatibus puros ac immunes animos retinuerunt, prorsus ignoramus: Nam in hoc gravissimo negocio nihil clàm, sed omnia apertè, in publicis cōsiliis tàm Prætorii, quàm utriusq; civium Collegii more antiquissimo sunt acta, consultata, cū præsentibus quoq; Nobilibus & Officialibus Regiis communicata, ac unanimi omniū consensu definita & conclusa. Quod si quis aliud in linguâ promtū, aliud in pectore clausum habuit, summiq; periculi tēpore dissimulādi artificio usus est, ubi dissimulationi nullus est locus, minimè felix is est censendus, sed gra-

vissimam reprehensionem incurrit. Jam nullo modo conscientia inquinatur, cum ad præscriptum divini ac humani juris, & juxta optimarum gentium exempla, vi majori imbecilliores cedunt, honestissimisq; conditionibus salutem paciscuntur. Exempla omnis ævi pro nobis faciunt; quæ si allegare liberet, facilè demonstrari posset, vix sub Sole regnum aut dominium fuisse, quod à potentiori suo tempore non fuerit superatum, & ubi victi gravissima quæq; perpessi, pacem pecuniâ vel quâcunq; ratione non redemerint. An verò inter felicissimos numerandi sint, qui cum uxoribus ac liberis è Civitate migrarunt, omnes sanâ ratione præditi judicent. Atq; ut maximè ad exemplum paucorum, qui in mutuo commerciorum usu omnes fortunas suas Reipub. Polonæ incolis crediderunt, urbe excessissemus, quorsum tandem migrandum nobis fuisset? Valdè periculosum est, robustissimo in rebus humanis fato reluctari; ac proclivius, vetus domicilium & fortunarum reliquiæ deseruntur quàm recuperantur, quippe extra RIGAM ubi aliam RIGAM reperiamus, planè nescimus. Sed quidni etiam vicinis gentibus æquè grave & incommodum futurum esset, si veteres hinc migrâssent coloni, & soli Sveci Civitatem insedissent? Satis est ad extremum discriminis articulum, neglectis omnibus fortunis, fidem constantissimè cultam etiam sanguine obsignâsse: Nunc per vim majorem Ser^{mi} Sveciæ Regis inviti à Reipub. Polonæ corpore, quæ nobis ex pacto tutelam debebat, divulsi, & nexu obligationis reciprocæ, secundũ omnium gentium jura & exempla soluti, relliquias DEI beneficio conservatas deserere, aut

relictis

relictis patriis laribus, in quibus salvâ conscientiâ & honore degere ac manere datum est, cœca animi cupiditate spontaneum exilium amplecti, atq; alienâ misericordia nixi, vitam inopem sustentare non tenemur.

Hæc omnia paulò uberiùs Ill^{mæ} C^{ni} V^{æ} perscribenda ideò duximus, ut innocentia & existimatio cumprimis nostra vindicetur, omniumq; ob oculos ponatur, tùm ut Illma C^{do} V^{a} & reliqui ad quos hoc bellum spectat, paulò altiùs rem pensitantes, omni cura & sollicitudine tandem in salutem communem incumbant, quò bello funestissimo supra viginti duos annos patriæ viscera depascenti aliquando finis imponatur, pax & concordia stabiliatur & sanctè servetur. Quam quidem ad rem cognitâ voluntate & mandato Ill^{mæ} C^{nis} V^{æ} commisso, pro tenuitate nostrarũ partium, tanquam in causa communis salutis, omnem laborem, operam studiumq; nostrum libentissimè conferemus, prout in ipsa deditionis formula, fidei nostræ tùm nondum obliti, pacti sumus, viamq; ad pacificationem & concordiam mutuam stravimus. Alioquin uno isto excepto casu, nobis, qui inevitabili divino fato in fidem ac deditionem Ser^{mi} Sveciæ Regis concessimus, ac solennis jurisjurandi religione fidelitatem firmavimus, pietate ita jubente decretum est, eadem quâ anteà Poloniæ, nunc Sveciæ Regem & Rempub. devotione ac veneratione prosequi, & in omni fortuna penes eundem non minori cum laude & honore perseverare, neq; ulla in re contra officium & conscientiam nostram Regno Poloniæ nos obligatos vel obnoxios profiteri. Nam ut nullo scelere vel fraude ad Reg.

M^{tem}

Item Sveciæ Dominum modò nostrum clementissimum transivimus, sic nullâ perfidiâ vel maleficio ad vos ut unquam redeamus, licet id in potestate nostrâ situm esset, aut impunè fieri posset, permoveri nos aut induci patiemur, sed divinam providentiam sequemur. Non ea calami subsidia promittentis vis fuit, ut pessum euntes servaret; non erit etiam blandientis aut minitantis, ut nos in aliam ditionem translatos vincat aut recuperet.

Quamobrem summo studio Illust. Cdm Vam petimus, ab istiusmodi consiliis & machinationibus, quæ nec Ipsius nec nostræ ingenuitati conveniunt, sibi temperet, literas clàm mittere supersedeat, nec quempiam nostrorum hominum à virtutis & justitiæ tramite devium in miserias exitiumq; præcipitet; Sic verò existimet, quicunq; nuncius cum clandestinis literis & mandatis subordinatus in Civitatem deinceps venerit, excepto, qui lege & more militari cum mandatis apertis missus fuerit, tubicine, gravissimâ pœnâ tàm venientis temeritatem, quàm spargentis levitatem punitum iri. Captivos quoq; Illust. Cdo Vra quos dimittit, contra morem militarem illicitis pactis ad ea minimè obligabit, quæ Christianam consvetudinem ac castrensem disciplinam lædant. Tandem ita Illust. Cdo Vra statuat, non alio animo hanc scriptionem, quàm pro vindicando honore atq; existimatione nostra susceptam esse.

Quod superest, DEum immortalem oramus, ut salutaria consilia Regi & Ordinibus Poloniæ inspiret, ut pax fugitiva aliquando revocetur, gladius fuso tot innocentium Christianorum sangvine madens, ad cujus mentionem cohorrescimus, in vaginam recondatur, cognatorum Principum concordia firmetur, miserrimorum subditorum, qui reliqui sunt, quieti consulatur; Sic domus & familiæ Principum florebunt, divinæ benignitatis rore crescent, inter duo Regna perennis tranquillitatis & amicitiæ jura ac vincula consolidabuntur, omnesq; eorum cives à tantis tempestatibus, in mutuâ utilitatum communicatione, ac gaudiorum societate, Christianâ charitate conglutinatis animis, pacis in portu quiescent, ac perpetua vota pro salute Principum, supremo Principum Domino, in quo omnes vivimus ac movemur, indesinenter nuncupabunt: Sic deniq; Illust. Cdni Vræ pristinæ observantiæ nostræ officia constabunt; Quam benè valere optamus.

Datæ Rigæ die quarta mensis Februarii Anno Christi pacis autoris, Millesimo Sexcentesimo Vigesimo secundo.

II Hist. Russ.
b, Provinciär.
Livon.